

14



Q. 67.

M. 1. 321.

I

D

J

D

SE



POTENTISSIMI ANGLORUM
REGIS

JACOBI

REGUM DOCTISSIMI

DONUM REGIUM,

SIVE

DE INSTITUTIONE PRINCIPIS

AD

HENRICUM FILIUM,

ET

JUS LIBERÆ MONARCHIÆ,

SIVE

DE MUTUIS REGIS LIBERI

ET POPULI NASCENDI CONDI-
TIONE ILLI SUBDITI

OFFICIIS:

Pro Charissimis

FRANCOFURTANIS SUIS

de novo edidit

JOH. CHRISTOPH. BECMANUS, D.

FRANCOFURTI AD ODERAM,

SECUNDO EXCUDIT CHRISTOPH. ZEITLERUS,

ANNO MDC LXXXII.

An froy. Anq.



*Generosissimis, Praclaris ac Politissimis
Dominis, Dominis*

GEORGIO BERGEMANNO, Servesta-Anhalt,
CHRISTOPHORO FRIDERICO à SCHLIEBEN,

Nobili Borusfo,

GEORGIO Schöneiche / Bethania-Silesio.

CAJO HENRICO Nahrman / Lubecensi.

ADOLPHO FRIDERICO Gerresheim / Beroli-
nensi Marchico.

NATHANAELI à BRANDIS, Nobili Borusfo,

PETRO CALOVIO, Regiomonto Borusfo.

ERNESTO à METTERNICH, Nobili Neo-
Marchico.

JOH. EPHRAIM HECKERO, Gedanensi.

SAMUELI Wilhelm / Vratislaviensi.

JACOBO HENRICO MAKOWSKI, Nobili Polono.

CAROLO ERNESTO Krausen / Nobili Borusfo.

GEORGIO CHRISTIANO à Neumanstwaldau / Nobili
Silesio.

OTTONI GEORGIO à Wiedebach / Nobili Lusato.

CAROLO GOTLOB à Penzig / Nobili Lusato.

WOLFG. HENRICO à Seidelitz / Nobili Silesio.

JOHAN. CHRISTOPHORO à Bock / Nobili Silesio.

SIGISMUNDO à Zedelitz / Nobili Silesio.

GODOFR. WILHELMO à BODECK, Nobili Borusfo.

Amicis & Consalinis suis Syavissimis.





SVAVISSIMI COMMILITONES,

Offero Vobis Sapientissimi Anglorum Regis *Donum Regium*, Scriptum mere aureum, & seu Autorem ejus, seu materiam spectetis, non nomine tantum, sed re ipsa Donum vere Regium. Recordamini me crebro vos docuisse, quam arduum sit in rebus Principum congrue versari, quippe quas parendo solum suspicere, non docendo tradere possumus. *Non est nostrum estimare, quem supra ceteros & quibus de causis extollas: Tibi Summum Judicium Dii dedere: Nobis Obsequii gloria relicta est. Spectamus quæ coram habentur; Abditos Principis sensus & siquid occultius parat exquirere illicitum, anceps, nec ideo assequaris:* Dixit in Senatu Romano Vir Equestris ordinis M. Terentius ad Principem suum, nec animi falsus fuit: Nam quæcunq; ad Principes pertinent, ea hoc ipso nobis superiora esse adeoque Ingenium nostrum excedere diffiteri non possumus. In Sacris celebre est Mysteriorum nomen, h. vi vocis rerum absconditarum, quas videmus, audimus, apprehendimus, at connexionem ob animi imbecillitatem ignoramus, eoque non scimus adeo, quam humiliter credimus. Quod ibi Mysteria, id in humanis sunt res Principum, perfectissimæ rerum nostrarum, & Divinis ideo viciniore, quod Divinum in hisce Terris vicariatum contineant, adeoque vera secreta illa,

)(2 quæ

quæ sola reverentia videmus: Nam propterea & Divina
veneramur potius, quam tractamus, quod perfectione
sua nobis maxime emineant. Quotquot hæc è profa-
nis Scriptoribus olim aggressi sunt, non errarunt mo-
do, sed nobili quadam corporis parte ipsove animo mul-
tatos abstinere oportuit. Sic Demetrius Phalereus
differuit, cum Ægypti Rex causam rogaret, cur nulli
Scriptores profani LL. Divinarum mentionem fecerint?
*Neminem ausum eas attingere, quas constaret Divinas esse
& omni veneratione dignissimas; Et puuitos esse quosdam
à cœlesti Numine, qui illas temere atrectare non sunt ve-
riti.* Theopompum enim violentem inde quadam suis Scri-
ptis inferere mente captum fuisse diebus XXX. & per in-
tervalla insania precibus Deum placasse facile conjicien-
tem, quæ causa morbi fuerit; Atq; etiam in somnis admo-
nitum hæc ideo pati, quod fuisset circa res Divinas curiosior,
easq; voluisset proferre profanis hominibus: Quare cum à
cæpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theo-
dectæ autem Poetæ, cum in quadam Tragœdia vellet aliquid
è Sacris Literis admiscere, oculos glaucomate suffusos ca-
ligasse, & cum Erratum agnovisset, exorato Deo, redditam
ipsi fuisse aciem. Neque aliter fere cum causis Princi-
pum se habet: Homines, dum temere eas contrecta-
runt, quia res viribus suis majores aggressi fuere, in
turpissimos errores passim prociderunt. Quid enim
aliud sunt tot de Tyrannide, de Republica Corrupta, de
Potestate Pontificum in Reges aliave innumera hujus
generis scripta, quam totidem ultra vires suas suscepta
molimina excœcatorum & tantum non insaniæ vici-
norum hominum, ex qualitate sua sublimiores illas a-
nimas æstimantium, quæ proinde & publice castigari,
ipsisque ultricibus flammis sæpe tradi oportuit. Adeo
lu-

lubricum est scribere de Regum Potestate, de Imperio & ditione ipsorum, ut regnant, ut jure vel injuria possident: Inquit non nemo Scriptorum Gallicorum & pœnam ejusmodi Autoris alias non ignobilis recenset. Et si qui alii supersunt, hos suarum ipsos imbecillitatum proditores non animis hominum, sed papyro adrepere, paucis mutatis ego cum Lepido dixerim, cum ille de Lutorio Prisco ejusq; Carminibus sententiam rogatus esset. Lutorium neq; servatum in periculum Reipublica, neq; interfectum in exemplum ire: Studia illi ut plena recordia, ita inania & fluxa esse: Mec quicquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum flagitiorum proditor non virorum animis, sed muliercularum adrepat.

Opinor Vos causam hæc differendi perspicere; Si enim tam sublimis est character Principum, solive hi seipso sciunt, næ maximum beneficium est, si illo nos impertiunt & ad cognitionem ejus veluti manu ducere dignantur; Semetipsos enim & Legem suam sibi propriam nobis ita tradunt, vel hoc nomine etiam supremo illi Regi Regum, cujus vicariatum gerunt, similes, qui scriptâ manu sua æternâ naturæ Lege hominum genus olim dignatus fuit. Sicqve Græcos Imperatores scripsisse legimus, Basilium Imp. ad Filium Leonem, Constantium ad Romanum, Manuelem ad Johannem. Carolus V. etiam Philippo II filio studiose præcepta tradidit, quomodo se gerere debeat cum Romanorum Rege & filiis ejus, cum imperii cæteris Principibus, cum Germanis & Helvetiorum pagis, cum Venetorum Republica; Philippus II. item monita filio dedit, quæ sibi descripserat, & inter arcana servarat. Quos omnes vel hoc capite supergressum Sapientissimum Doni hujus Regii Autorem dicemus, quod cum illi Ar-

cana sua prefferint, hic Arcanis abs se traditis nobilem istam vocem addere non dubitaverit: *Se nihil in Secretissimis penetrabilibus facturum, quod si foras sit prolatum possit ipsi ruboris pudorisve necessitatem afferre.* Unde & cum Liber hic primo in hominum manus venisset, quo Autor in Regnum Angliæ, omnium animos in admirationem amoremque sui rapuit, omnes subditi uno ore bona dicere & Regem non minus eruditionis & Religionis, quam juris & potestatis nomine vereri, Teste Doctissimo Editore operum Regiorum.

Donum itaque vere Regium accipitis, Librum refertiore saluberrimis consiliis, quam est malum Punicum acinis, ut iterum Doctissimus Montacutus de eo loquitur: Et de quo inter Scripta Humana in Politicis dixerim, quod idem generalius de Legibus Divinis eodem loco scribit: *In exigua hac Bibliotheca fundamentum esse omnis Eruditionis nostræ.* Donum vero idem est, h. non jure aliquo ad inferiores transferendum, sed illa Virtutis parte, qua alios eo quod nostrum est frui patimur. Eumque vel hanc ob causam Vobis non ingratum fore spero, quod ipsum toties totiesque à me vobis commendari passus sitis, toties simul aliis Politissimis Doctrinæ meæ Alumnis expetieritis, & manu vestra descripseritis, nuncque Quotidianis Discursibus nostris mensalibus non minus, ac Grotii Libros J. B. & Bœcleri Notitiam antehac, destinaveritis, non ad præposterum censendi ac judicandi cacoethes, (à quo Vos semper dehortor,) sed ut audita quasi sententia Regia Doctrinæ nostræ robur accedat firmiter. Tanto minus vero ambigo, quin passuri sitis hoc tam dignorum Votorum Vestrorum exemplum à me prædicari, amorisve mei erga Vos pignus publicum statui, quod id ipsum
quod

quod non ita pridē in simili occasione erga Perillustres
 Dominos, Dominos Barones de BIBRAN & de SCHÖ-
 NAIGH humiliter professus sui, erga Vos etiam profi-
 tear, testerq; me nihil antiquius ducere, quam si curam
 studiave mea vestris adjecero, quique publice jam RE-
 CTORIS, privatim Præceptoris ac Hospitis Vestri nomi-
 ne Vobis præeo, nusquam non operam daturum, ut stu-
 dia Vestra in sublimiorem Dei gloriam, spem Patriæ,
 perennemq; Vestram felicitatem maturem sedulo.

Unum adhuc monendi estis, Editionē adornatam
 ex Operibus Regiis à Doctissimo Wintonensi Episcopo
 Jacobo Montacuto Londini A. MDCXIX. editis & cō-
 sentiente Regio Autore, Filio eidemq; Heredi Regnorū
 Magnæ Britaniæ & Hiberniæ Carolo I. inscriptis, adeoq;
 talem, quæ post Opera Regia *ΑΥΓΕΥΤΙΑΣ* suæ secura est, vos
 accipere. Alias, quæ in Germania & extra eam antehac
 prodierunt, laude sua non defraudabo, totas tamen raro
 exemplo non quidem re ipsa, sed verborum apparatu à
 nostra divertere indicandum est: Argumentum ex ipso
 initio alloqvii Regis ad Filium facile capi poterit, quod
 apud illas tale est: *Ad Henricum charissimum filium meum
 & Successorem proximum. Ad quem potius, quam ad te,
 charissime Fili, spectare debeat Liber iste de Institutione Prin-
 cipis in omnem officii sui partem sive universam, ut hominis
 Christiani in Deum, seu singulatim uti Regis in Subditum?
 Cui, inquam, potius quam Tibi debeat, non reperio: Quan-
 doquidem ego ejusdem Autor, tuus etiam Pater cum sim,
 quidni vel solicite in id studii incumbam? Cum ut Te primo-
 genitum meum Divinaq; Clementiæ in meam sobolem primi-
 tias satis ad omnem Virtutem habeam instructum; Tum ut
 Rex tibi legitimo heredi & Successori meo in omnes Regii
 muneris partes sedulo informando tempestive prospiciam & c.*
 At

At verba Editionis nostræ sunt. *Filio meo charissimo & Heredi Henrico. Cui aq̄ue debeat̄ur nostra hæc Principis institutio, qua & Christiani hominis in Deum & Regis propria in subditos Officia cum laude exequaris, cui inquam echarissime Fili aq̄ue ac Tibi debeat̄ur? Te etenim filium mihi natu maximum & conjugii mei Deo Largitore primitias probe & pie educare paterna est mea cura; Regia v. etiam Regiis artibus heredem meum tempestive instruere &c. Similiterve tota Libri compages se habet. Illa verbosior est, hæc concisior & Characteri Regio propior. Valete, Charissimi mei, ac vivite Deo, Reipublicæ, Vestrisq; probatissimi. Francofurti ad Oderam*

A. D. XV. April. A. MDCLXXIX.

Vestri Studiosissimus

J. C. BECMANUS, D.

REGIS

21





REGIS AD FILIUM

EPIGRAMMA.



Ure vocat Deus ipse Deos, sce-
ptriq³ throniq³
Participes quos ipse facit: Quò
iussa capeſſat

Regalemq³ apicē veneretur ſubditø orbis;
At ſervire Deo Regum ſit maxima cura.

Quod ſi, Nate, cupis populo cum laude
præſſe,

Diſce ſubſeſſe Deo: quas noſtro in junxeris
orbi

Has Leges accerſe polo; moderariſ habēas
Non tu, Nate, tuas, ſed ſummi auriga To-
nantis.

Illius exemplo rectis da præmia, curva
Dirige ſupplicio; juſtum verumq³ tuere.
Quicquid agas, age teſte Deo, qui vindice
dextrâ

Cuſtoditq³ pios, perditq³ oditq³ profanos.

Dotibus hiſ, Fili, verè regalibus auctus
Cœleſtem referes hunc qui regit omnia,

Regem.

a

FI-



FILIO MEO CHARISSIMO
ET HÆREDI
HENRICO.



*U*ti æquè debeatur nostra hæc
Principis institutio, quæ &
Christiani hominis in Deum,
& Regis propria in subditos
officia cum laude exequaris;
cui, inquam, charissime fili, æque ac tibi debeat-
tur? Te etenim filium mihi natu maximum,
& conjugii mei, Deo largitore, primitias, pro-
be & piè educare paterna est mea cura: Regia
vero. etiam Regiis artibus heredem meum
tempestive instruere; ut oneris gravitate præ-
cepta jam incipias cogitare, regno natum o-
neri potius natum esse quam honori: Neque
sic aliis antestare te dignitate, ut assiduis &
periculosus laboribus, in ea provinciâ, quam
tibi

EPISTOLA

tibi Deus Opt. Max. demandavit: Ut ita dignitatem muneris & gravitatem oneris equali lance compenses; tum si olim (quod Deus omen avertat) illo fastigio excideris, ex honoris celsitudine casus magnitudinem aestimes. Itaque ut memoria tua rectius consulam, & quicquid repertum opus est sine morâ evolvas, tractatum hunc in tres partes distinxim. Prima te Christina pietate instruit in Deum: Secunda vero regiâ prudentiâ in subditos: Tertia denique, ut te gerere debeas in rebus adiaphoris, quæ, suapte quidem naturâ mediæ, ex usu intelliguntur bonæ, ex abusu malæ; at validæ in utramq; partem, prout scilicet in iis te gesseris, ad opinionem Principis in populo elevandam, augendamve. Accipe igitur librum hunc, & tanquam Præceptorem & Consiliarium fidum amplectere, quem, quoniam mihi ipsi per occupationes semper adesse non licet, assiduum tibi monitorem esse volo: Et, quum hora mortis mihi ut cæteris incerta sit, pro testamento & supremâ voluntate haberi. Tibique coram Deo & per patriam potestatem præcipio, ut



EPISTOLA

non minus tecum circumferas quam Alexander ille Homeri Iliada. Consiliarium invenies & injustitia & affectu vacuum, qui nec male agenti aduletur, nec alieno tempore molestus sit. Non accedet nisi vocatus, nec loquetur nisi interrogatus. Et si sermones cum eo quoties vacat contuleris, dices cum Scipione, nunquā te minus solum esse, quam cum solus es. Itaq; si tibi à patre cupias benedici, etiam atq; etiam vide, ut hæc præcepta pro virili parte exequaris. Sin ab iis olim deflexeris, hic liber adversus te testimonium dicet; & incalis ratas faciet diras illas, quibus ego te devovero. Nam (Deum testor) malo nullos mihi esse liberos quam improbos. Sed latiora ominor, mihiq; spondeo te divinā benignitate, unde mihi filius datus es, probum quoq; piūque filium obvenisse, nulla Deo obrepente benignitatis suæ poenitentia. Quem ego supplex veneror ut meam in te benedictionem, mihi ratam faciat. Vale.

Tui amantissimus pater

J. R.

PROÆ-





PROOEMIUM AD LECTOREM.

H *X aureis sententiis, quas Christus Salvator Apostolis suis loquutus est, hæc una est; nihil latere quod non sit revelandum, nec abscondi quod non sit cognoscendum: Et quicquid in tenebris quis dixerit id audiendum in luce, & quod in aurem quis musitaverit, id palam in culminibus domorum prædicandum. Quæ sententia, quum à fonte omnis veri & ab ipsa veritate profecta sit, fieri certe non potest, quin vera sit. Quo magis viros bonos omni ope decet inspicere, & quid occultissime egerint, & quibus modis, quod cupierunt, effecerint. Nam parum refert scopum etiam rectissimum proponere, nisi rectam quoque lineam & viam, quæ eo ducat, elegeris; quæ si prava fuerit aut obliqua, totus actus cum auctore debonestabitur. Et enim in ipsis arcanorum nostrorum recessibus nihil est occultanti numinis oculo impervium; cui cogitationum nostrarum tenebræ, etiam densissimæ, pellucidæ sunt.*

Cæterum ut de humanâ communiter, ita de vitâ Regiâ hoc proprie intelligendum venit. Nam & auctoritate & officio publica est Regis persona; & tanquam in scena populo exposita, defixis undiquoque in illum singulosque ejus gestus & motus spectatorum oculis. Quo majore curâ reges incumbere oportet, ne quam in animum cogitationem ad-



PROOEMIUM.

mittant, *cujus olim eos pudeat in publicum prolata. Nam tempus veritatis mater certo certius aliquando pariet. Id mihi quoque in hoc Regia vita stadio non semel contigit, licet nunquam meo cum probro. Deo sit laus, qui mihi dedit suo in conspectu vivere, & intimas cogitationes antequam proferrem sic expendere, ut publici examinis severitatem olim non deprecarer. Cateris autem arcanis meis præter opinionem vulgatis jure annuero hoc Basilicon doron; scriptum à me & ingenii exercendi studio, & filii erudiendi, quem mihi natus maximum Deus, uti spero, solius hæredem destinavit. Nam quum hic de Regis officio libellus nemini nisi Regi conveniret; & Regius quoque hæres esset cui pro monitore & consiliario datus est; dedecere existavi, ut aut publici juris fieret, qui erat unius, & inter tam conjunctos internuncium agebat; aut archetypus, ad quem olim filii mores effigiandi erant, longe ante populo prostitueretur, quam filius per ætatem & cernenda hæreditatis tempus eo uti posset. Itaque ut occultior foret, Typographo, taciturnitatis jurejurando prius obstricto, non ultra septem exemplaria permessa; quæ inter ministrorum fideissimos ideo volui distribui, ut nonnullis injuria temporis forte intereuntibus, unum certe vel alterum mihi superstes fieret, unde candorem meum paternumque affectum & curam filius olim cognosceret. Nunc quum præter consilium & opinionem meam liber hic è mea potestate evaserit, jam omnium censura factus obnoxius, acerba, benevola, ut suus quemque affectus trahit; cogor sane, tum ut hominibus malevolis obviam eam, qui vesparum more ex optimis herbis venenum sugunt; tum ut probis quibusdam satisfaciam, qui quedam non capiunt satis; & vera hujus libri exemplaria edere, quorum auctoritate quæ jam vulgata sunt labefactentur; & hac præfatione clariora facere, quæ, ob
brevi-*

PROOEMIUM.

Brevitatem dictionis aliorum atque ego volui accepta sunt.

Duo sunt autem quae ab hominibus malevolis in meo libro carpi, & à probis minus recte capi intelligo. Alterum & precipuum est, quod ex nonnullis in eo locis dubitatio oriri videatur de sinceritate religionis, quam inde usque à teneris annis constanter professus sum. Alterum vero, quod alicubi videar occisæ matris injuriam alta mente reponere, & vindictam adversus Angliam aut quosdam in ea optimates meditari.

Prior calumnia, qua nulla gravior, inde nata est, quod paulò Puritanorum, & precipuum quorundam concionatorum, ingenia moresque acerbius paulò & satyricè depinxerim: Quia laudi sibi ducunt Reges habere adversarios, omniaque humana & divina in Republ. miscere. Posterior vero ex eo, quod severe filio interdixerim, ne vel audiat vel ferat jactata in parentes & avos opprobria: Fidissimos enim mihi in omnibus adversis extitisse (nam hoc exemplo usus sum) qui fidem datam Reginae matri nunquam fefellissent. Verum candidus Lector ex formâ materiaq; operis facile judicabit, quantum mihi in utraq; calumniâ oblatum sit injurie. Nam in prima parte quae agit de Regis pietate in Deum, tam sincere religionem meam professus sum, eam nempe in qua eductum atque edoctum me disertis verbis testatus sum, quamque ut verissimam & æternam Divini cultus rationem filio commendavi; ut nec Mommum ipsum, si ab inferis excitatus esset, inventurum hic credidissem, quod carperet. Ita meo candore obturatam sperabam os invidia. Nisi forte dicturi sint me mihi esse contrarium, quod profecto in tantillo opere nimiam argueret & judicii & memoriae debilitatem. Secunda autem libri pars est in juris & justitiæ administratione. Tertia

in

PROOEMIUM.

*in rerum mediarum disciplina; quo nempe fœdere harum
usus cum interkis animi virtutibus maritali debeat, ut in-
terpretum vice fungantur, & abstrusum mentis habitum
illis saltem aperiant, qui interiorem hominem inspicere ne-
scii ex specie illum aestimant, qua in sensus incurrit. Itaq;
vel sola libri methodus accuratius paulo considerata facile
priorem illam & longe gravissimam de religione calum-
niam expurgat; siquidem in prima parte, ubi ex professo
de religione agitur, sententiam meam sine ulla circuitione
eloquutus sim. Alibi autem, ubi mihi de civili guberna-
tione sermo est, non religio, sed mores & ingenia Puritano-
rum notantur; & quæ pœnarum exempla in eos statui o-
porteat, cum leges & supremi magistratus auctoritatem
contemnunt. Verum ut contra omnia livoris dormenta
murum mihi excitem aheneum; ipsa verba, unde tanta illis
bilis commota est, excutere & examinare libet, ne qua in
posterum scandali materia hominibus malevolis supersit.*

*Ad nomen ipsum Puritanorum quod attinet, non dif-
fiteor, tituli jure, infami Anabaptistarum sectæ deberi, quæ
Familia amoris vocatur. Hi enim se puros arbitrantur
& quodammodo vacuos peccato; se esse veram Ecclesiam,
solosq; dignos sacramentis; ceteros vero mortales execra-
biles esse, & Deo invisos. Et de hac secta præcipue intelli-
gi volo, quæ de puritanis dicta sunt. E quo genere nonnulli
in Scotiam aliquoties venere, nominatim Brunus & Pen-
rius, ut suis zizaniis segetem Domini contaminarent. At-
que utinam ex ea semente nulla nobis messis metenda foret.
Veruntamen eos quoq; hoc titulo insignimus, qui quum il-
lius sectæ nomen respuant, eorum tamen moribus & errori-
bus affines sunt, Quales sunt male sani & vertiginiosi
concionatores, eorum discipuli; qui magistratus contemptu
&*

PROOEMIUM.

Et somniorum suorum Et revelationum crudelitate communem Anabaptistarum regulam sequuntur: Propriam vero Familiæ disciplinam in multis aliis emulantur. Nam prophanos æstimant quotquot in eorum verba non sunt jurati: Et de minimis Politia Ecclesiasticæ quæstiunculis tantum excitant turbarum, ac si de sacrosanctâ Trinitate ageretur. Conscientiæ suæ Scripturam accommodant, non Scripturæ conscientiam: Quisquis minimum alicujus nugamenti apicem negaverit, statim audit Ethnicus & publicanus, ipso spiritu nedum Sacramentorum communione indignus: Satius esse Regem, Legem, gregem pedibus conculcari, quam horum quicquam attingi: Et bellum sacrum ex ejusmodi causis excitatum impiæ paci esse præferendum. Quin Christianis Principibus non modo resistendum, sed pro illis ne orandum quidem esse. Orationem enim ex fide esse; at eorum conscientis jam esse revelatum ejusmodi preces Deo curæ non esse. Penes Lectorem esto judicium, an illius sedis nomen illis immeritò communicem, cujus errores imitantur. Quid enim pudeat in nomen transire, quorum in familiam transisse non pudet? Hoc genus hominum severius in libro meo perstrinxi; adeoque filio meo, quoties legum auctoritatem contemnunt Et à seditionibus non abstinent, censui puniendos. In quos eam quoque ob causam acerbius invectus sum, quòd multos famosos libellos Et probra sparserint in vulgus non modo Christianis Principibus contumeliosa, verum etiam nostræ Religionis, cujus pretextu edita fuere: Quæ cum à Papistis duntaxat refutata sint, qui eâ occasione Religionem quoque ipsam incurstant; non sublata sed geminata fuit scandali indignitas. Quod ad ceteros concionatores attinet, aliosve etiam, quibus simplex illa nostræ Ecclesiæ politia An-

b

glicana



PROOEMIUM.

glicana Ceremoniis praefertur; quibus Episcopalis dignitas Papalem fastum redolet, & pileus quadratus & superpellitium, & id genus alia, Papatus insignia videntur; hos (testor honorem meum) nunquam intellexi. Imò verò tantum abest, ut de talibus rebus, quas semper adia- phoras aestimavi, rixandum putem; ut utriusque partis eruditos & graves assertores pari honore & amore prosequar. Non nostrum est inter eos litem tam veterem componere. De fundamento fidei per Dei gratiam inter nos convenit. Et ex polemicâ hac partium acerbitate pax Ecclesiae turbatur, & schismatis occasione Papistis aprritur janua, quâ redeant. Una tamen his cautio est atque provisio, ut suarum quisque opinionum conscientia domi & apud se contentus sit; neque in publicum, ubi legibus contrarium definitum est, eas producant; nedum ut pervicaciâ suâ schismatis aut seditionis in populo authores esse velint; sed legibus & patriâ consuetudine acquiescentes modestia & paci studeant, & rationum momentis aut suam sententiam ceteris persuadeant, aut si alteram partem fortio- rem senserint, positis opinionum praëjudiciis, ne erubescant accedere.

Hic sensus ex meo libro colligendus erat, sine ullâ religionis meae aut remissione aut rimâ, quemadmodum ex eo loco patet, ubi indicatis Ecclesiasticæ nostræ politica vitiiis, filium hortor, ut bonis viris è Ministerio, de quorum apud nos frequentia Deo gratias egi, munificus esse velit: Hos tamen omnes Ecclesiae Anglicanae ritibus adversari in- confesso est. Quin tantum abest ut Religionem ullatenus velim corrumpi; ut filium jubeam in Ministris Ecclesiae designandis sedulo providere, ne qua in receptam politica formam corruptela subrepat. Neque universum Ministeriorum ordinem vel Ministerium aliquando in crimen vocavi.

PROOEMIUM.

cavi, sed quosdam è Ministris, qua loquendi forma per totum illum librum mihi usurpata est. Sed qua, obsecro, vel Momo teste, est illa Religionis à dia Phœja, cum filio multa denuncio incommoda, si fortè mihi superstes conjugem duxerit alterius Religionis: Quanquam profecto tam infrequens est Principum nobis consentientium numerus, ut haud facile sit illi prospicere de pari.

Quod ad aliam illam calumniam attinet, quòd vindictam adversus Angliam aut quosdam in ea Optimates ob maternam injuriam mediter; satis mirari non possum, unde rei tanta illis sit orta suspicio. Nam eo in loco Anglia nec disertis verbis mihi nominata est, nec tectis adumbrata: At Scotos mihi in mente fuisse, vel ex hisce verbis satis apparet, quibus eam disceptationis partem sic fere concludo: Me filii amore eo provectum, ut quod sentio eloquar sine ambage: Dum enim sincero veritatis indicio apud filium defungerer, quid Rebellionum artifices aut patroni sentiant, parum referre. Quomodò, obsecro, hic intelligi possint Angli, quid ubi nullum debebant obsequium, majestatis aut Rebellionis rei esse non poterant? In memoriâ teneo illud Regina Anglia, dum inauguraretur, scitisimum & vere Regium apophtegma. Sed quid multis opus est, cum ex ipsius loci instituto facile appareat nullam aliam mihi mentem fuisse, quam filio præcipere, ne probra in majores suos dici pateretur: Cui præcepto firmando meam de Scotis experientiam adjunxi; sic tamen, ut nullam injunxerim vindictam. Quod si scelus Macedonica simplicitate scelus dixerim, non ideo retractata intelligitur concessa semel sceleri venia. Matri ego mea uno gradu proximior sum quàm meus filius: Nec ita adhuc mihi ipse vilescò, nec ita senio invalidus sum, ut Davidicum testamentum condere necesse habeam: Quin hastâ quàm pennâ

PROOEMIUM.

pennâ justam vindictam scribere magis Regium semper aesti-
mavi. Sed nolim esse in re ingrata prolixius: Tantum vo-
veo, ut ex præterita vita factis metiantur homines Consi-
lia futura.

Sic refutatis calumniis, quantum satis est apud viros
probos, invidis autem relicto veneni sui pabulo; benignum
Lectorem obsecro, ut mentem meam hoc in libro benignè in-
terpretetur. Non sum nescius, quanto illius desiderio ple-
rique hujus Insulae homines flagrant, dum alii, aut pro-
pter honestam quam de me opinionem conceperant, aut fa-
miliaritatis jure amici, studiosius legere cuperent, quicquid
ab eo authore quem colerent & amarent profectum esset;
quum librum non ignorarent veram esse scribentis imagi-
nem: Alii verò, quibus una est felicitas novarum rerum
notitia, hujus quoque libri intuitu curiosos oculos satiare
cuperent, tantum ideo ne viderentur non vidisse: Alii deni-
que immerita authoris invidiâ stimulati alimentum hinc
quererent malitiæ; nihil desperantes, quin quicquid hic bo-
ni succi reperirent in vitiosos & noxios humores facile con-
verterent. Diversis his eandem rem cupientium studiis
effectum est, ut maturius & sanè præter animi nostri sen-
tentiam liber ederetur. At tricipiti huic lectorum hydræ
fert animus triplicem objicere clypeum, evidentiam, can-
dorem. Evidentiam, ut amicorum ingenuitati satisfaciam:
Patientiam, ut curiosorum imperitiam æquo ani-
mo feram: Candorem, ut invidiæ malignitatem non re-
formidem. Si omnibus placere nequeam, satis erit iis
non displicuisse quibus virtus placet; Et horum quoque ex-
pectationi si non ubique pro rei dignitate satisfecero, velim
expendant non omnia uni divinitas data, sed eternâ justi-
tiæ lege varia variis; deinde verò pluribus oculis plura cer-
ni: Non eandem denique esse omnium censuram, sed
quat

PROOEMIUM.

quot capita, tot sensus: Quemadmodum etiam in vultu ea formarum est infinitudo, ut facile ab altero quivis discerni possit. Neque ego ab initio mihi proposui argumentum hoc, de Regis institutione, penitus exhaurire; adductis, quaecunque vel ab optimis authoribus, vel ab ingenio haberi poterant; sed tantum de hujus Regni gubernatione ea filio præcipere, quæ illi discere & mihi docere conveniret.

Si videar alicubi minora quædam scrupulosius sectatus, id ipsius argumenti necessitas exigebat; non quo Principem universim formabam, sed quo filium in plerisque juvabam; quæ nisi specialius fuisset prosecutus, ut regni nostri & morbos & remedia; minor profecto ex generali traditione ad eum utilitas redundasset. Eorum omnium cum mihi & theoria & praxis comperta esset, planius eloqui posse videbar, quàm umbratiles isti Magistri, qui regnorum ideas in scholis contemplantur.

Quod si alicubi obscurus sum, id brevitati tribuendum, quam & meâ & filii causâ sequi necesse erat. Meâ quidem, propter infinitas muneris mei molestias & labores, illis quoque satis notos, quibus ego famâ ignotus non sum. Filii verò quia in tenellâ ætate (haud ignotam rem loquor) ita voluptate & ludo abripiuntur Principes, ut grandioris libri vix aspectum ferant: In maturâ verò, sic activâ officii sui parte distinentur, ut contemplativa non liceat vacare. Ita proluxior commentatio nec illi erat utilis, nec mihi possibilis. Veruntamen eorum curiositati parum me sentio debere, qui proluxitatis (ut videtur) tædio, cum transcribendi otium non haberent, nonnulla arbitrariè excerpserunt; dumque dimidiatam sententiæ partem præpropere arripiunt, parum pensi habuerunt alteram negligere.

PRO OMIUM.

si homini haud absimiles, qui à Psalmo citatis hisce verbis, non est Deus, antecedentia dixit insipiens in corde suo omisit. Ex istis autem parecholis confecto libello, forma quidem aue Jōdō, materia autem curto, titulus (si Diis placeat) inditus est, Regis testamentum: Quasi veteri & novo Testamento Regium hoc veluti tertium adjectum voluisssem. Fateor mihi alicubi filium compellari tanquam Testamentum condenti: Ut taceam scriptas de rebus opiniones, quaecunque demum authoribus suis superstites sint pro testamentis haberi. At à qualibet voce aut sententia librum denominare nimis sanè est ridiculum.

Sed novis hisce alienorum operum Nomenclatoribus & interpolatoribus sua inscitia relictis; vereor ut nonnullis, praesertim è vicino Anglia regno, haud satis excusata sit nostra brevitatis: Qui quod in meà Rep. feceram, id etiam fortè expectabant in sua, ut vitia scilicet & remedia indicarem. Sed unica instituti mei ratio erat filio optimum, & qui mihi experienciã compertus erat, sui regni gerendi modum tradere. Anglia status non ita mihi cognitus fuit, ideoque de limitibus alicubi agens excusatum me haberi valui, si de illo regno nihil dicerem. Scio omni Reipubl. suos esse nexos, nec ignoro quanti mea intersit Angliae prosperitas: Et vel me tacente satis indicat origo mea: Nihilominus cum jure illic rerum potiatur Regina, quae prudentia & felicitate imperandi omnes inde usque ab Augusto (praefiscinè dicam) superavit; mihi & experienciã & notitiã multò minori non conveniebat ardelionem illic agere, & in messem alienam meam falcem immittere. Quin per Dei gratiam contra spero, antiquam illam vivendi regulam mihi semper cordi fore, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Neque ullus dubito, imò verò ejus nomine spondere auserim (tanta mihi oboritur ex consueta illius virtute fiducia) nemi-

PR O O E M I U M.

neminem ad bene monendum promptiorem fore, quam illa ad id, quod pravum fuerit, corrigendum, aut, quod sua integritate exciderit, restituendum. Longè à me sit, ut eà vivà quicquam videar attingere.

Sic scrupulis exemptis, qui vel in speciem poterant offendere, restat mihi benevolus Lector exorandus, ut fatum hunc nostrum magis aestimet ex parentis candore, quam sua perfectione. Mea enim una tantum hic laus est, quòd nullibi ream peregerim virtutem, nullibi vitium absolverim. Quòd si eam ornatus pompam non pra se ferat, at partium compositio nihil monstri habet. Quùm verò ab initio clam conscriptus fuerit nec nisi urgente necessitate jam editus, par est ab omnibus accipi pro vera mentis meae imagine, proque illa regula vivendi, quam mihi & meis praescripsi; quae ut praeterita vita, quantum muneris mei ratio & tempora ferebant, directrix fuit; ita quoque Index est & sponsor futurae, ne quid aliud à me expectent homines, quam quod hic meo chirographo & promissum & firmatum vident. Quàm mentem Deus Opt. Max. mihi cum vita & diademate simul indidit, & posteris quoque meis propriam fore confido ad Regiae nostrae functionis dignitatem & populi nobis subditi praesidium.

Vale.



DE RE



DONI REGII

LIBER I. De Officio Regis erga Deum. p. i.


LIBER II. De Officio Regis in Subditos. p. 10.

LIBER III. De Regimine Principis in Rebus
mediis. p. 68.

JUS LIBERÆ MONARCHIÆ. p. 85.



DE RE-



DE REGIS OFFICIO ERGA DEUM.

LIBER PRIMUS.



T aliis regendis impar censi debet, qui suos ipse affectus regere non potest; ita populo Christiano præesse non meretur, qui non ipse Dei notitiâ, & reverentiâ, & amore præditus est. *Ne-Rectæ Po- que verò impio Regi, quantumvis su- litie basis.* det, bene credere quicquam potest; ut nec ab impuro fonte quicquam purum manat. Nam ut regius ait Propheta: *Ni Dominus domum ædificet, frustra la- Ps. 127. 1. borant, qui ædificant; Ni Dominus urbem custodiat, frustra vigilat custos.* Nec enim nisi Deo benedicienti successus imputetur: *Paulus plantat, Apollo rigat, sed DEUS 1. Cor. 3.6. dat incrementum.* Disce igitur ante omnia, mi fili, no- Principi ergo deum scere & amare Deum: Cui duobus nominibus obstri- gemina o- ctus es; primò, quod te hominem; secundò, quod inter bligatio. homines Deum quoq; te fecerit, ut illis imperes, & ejus Solio infideas. Memento quantum supra cæteros ejus benignitate evectus es, tantum illos superes gratitudine. In tuo oculo trabs erit, quod in alieno est festuca, & in tuo corpore vitiligo, quod in alieno est vitium, & venialia quæ vocantur errata, in te erunt crimina. Noli putare dignitate tua minui delicta, nedum ut *Gravitas delicti Re- gii.* delinqvendi licentiam inde natam existimes. Potius id cogita, honoris tui eminentiâ eorum gravitatem augeri. Quicquid enim admiseris non est lapsus unius; A quum

Vera Prin-
cipum glo-
ria.

quàm plus noceas exemplo, quàm delicto, tot mor-
tales imitatione tui reos factururus. Memento igitur
hunc humanæ gloriæ splendorem cælitus datum esse
Regibus, ut integritate & sanctimoniâ vitæ populo
præluceant; ut sint tanquam faces, virtute & pietate
accensæ, dirigendis errantium Civium vestigiis. Me-
mento etiam ex cognitione & *timore Dei, quod princi-
pium est Sapientia*, tibi emerfura omnia, quæ ad tui mu-
neris functionem pertineant, seu Regem agere oportet,
seu Christianum; In Deo enim ut speculo huma-
narum rerum, quarum ipse Creator & motor est, pro-
gressus omnes apparebunt.

Ad hanc autem cognitionem unica tibi via ape-
ritur, assidua nempe Divini Verbi meditatio cum in-
defessâ prece, ut intelligas *Scrutamini scripturas*, inquit
Christus: *illa enim testimonium de me perhibent. Et u-
niversa Scriptura, inquit Paulus, divinitus inspirata est;
utilis ad doctrinam, reprehensionem, correctionem, & ju-
stitia disciplinam, ut homo Dei ad omne opus bonum per-
fectus reddatur.* Maximè autem Regum interesse
hanc Divini Verbi meditationem ex eo constat loco,
in quo bonorum regum populi Israelitici prima fit
mentio; ubi disertis jubentur verbis legem Dei vol-
vere & revolvere. Audienda est quoque Sacra do-
ctrina cum attentione & reverentiâ. Nam (ut idem
Apostolus ait) *fides est ex auditu.* Sed cautio hic est,
ne multorum more Sacras Literas ad tuos sensus de-
torqueas, quemadmodum campanæ sonum interpre-
tari aliqui solent: Sed contrà ad expressam earum nor-
mam affectus tuos omnes exigas & componas.

Circa
quid ver-
sentur

Sac. lite-
re.

In duobus potissimum versantur Sacræ literæ,
nempe in jubendis bonis & vetandis contrariis. Tu

in

ERGA DEUM.

in utroque morem gere. Nec satis sit à malo abstinuisse, ni bene agendo te exerceas. Neu si multa bene egeris, velari posse credideris, quæ admisceas mala. Ut autem in duobus illis versatur Sacrae Paginae institutio, ita in duobus quoque officiis posita est nostra obedientia. Prius est internum, ascendensq; in Deum; *Cultus Dei* nempe oratio per fidem: Posterius est externum, descen- *vini duo* densq; ad proximum, nempe opera ex fide. Quæ duo *gradus.* nihil aliud sunt, quam exercitium religionis in Deum, & æqvitatatis in proximum. Ego tibi religionis articulos singillatim enumerare non habeo necesse. Hypocrita non sum: Meum sequere exemplum, vel, quod *Exemplum non negligendum* idem est, educationem tuam. Deo sit laus, nunquam me puduit, quid sentirem, palam fateri, quantumvis de me mentiri ausa sit hic calumnia. Verum ego religionem illam, quæ in Regno meo jam palam obtinet, nunquam vel gratiâ vel metu coram mundo professus fuisset, ni conscientia mea mihi dictasset esse veram, id est, disertis Sacrae Scripturae verbis fundatam: Quibus quæcunq; religio destituitur, superstitio est, quæcunq; adversatur, abominatio est.

De æqvitate in proximum supersedeo jam dicere, quia in secundâ parte hujus operis, ubi de Regis officio propriè agitur, ea tractanda est. *Religio igitur Religio.* nostra, quæ est Dei cultus juxta revelatam ejus voluntatem, in Sacris Literis fundata est, fide illa animatur, custoditur conscientia. De Scripturâ in genere jam diximus: Verum ut ex ea facilius occurrat, quicquid ad institutionem tuam vel solatium faciat, hanc brevissimam methodum memoriæ committe.

Tota Scriptura à Spiritu Sancto dictata est, ut verbo illo vitæ militans in terris Ecclesiae usque ad finem *Methodus Scripture* mundi

De Lege.

mundi instruat^r regaturq^{ue}: Constat duabus partibus, *Vetere Testamento & Novo*. *Veteris* fundamentum est *Lex*, quæ monstrat peccatum, & minatur pœnam: *Novi* fundamentum est *Christus*, qui condonat peccatum, & exhibet gratiam. Legis epitome est Decalogus; cujus amplificatio est in Libris Mosaicis; Interpretatio & applicatio in Prophetis; Obedientiæ & contumaciæ exempla cum præmiis & pœnis in Historicis. Verùm quùm neq; toti Legi, neq; ulli ejus parti satisfacere valeret humana infirmitas, visum est Divinæ Clementiæ Filii sui incarnatione & passione sibi satisfacere, ut qui operando salvi esse non possemus, credendo salvi fieremus.

De Gratia

Basis igitur Verbi Gratia est in quatuor illis historiis Nativitatis, vitæ, mortis, resurrectionis & ascensionis Jesu Christi: Interpretatio ejus & usus in Epistolis Apostolorum: At in actis infantia primitivæ Ecclesiæ historia est, in textis fidelium & infidelium vitis.

Ufus Legis

Libetne igitur in Lege peccata tua inspicere? Lege Mosen, ille monstrabit. An Commentarium quæris ad Legem? Prophetas revolve & Salomonis in Proverbiis & Ecclesiaste oracula; non solum ut inde discas, qua ratione legi sit obtemperandum, verum etiam ut aureis instructus sit sententiis, & præceptis morum ad omnem omninò vitæ usum: quale penu Moralis Prudentiæ, cum divina consonæ, frustra apud Philosophos vel Poetas quæras. An mavis præmia scire bonorum, & malorum pœnas? Lege historias Mosis, Josuæ, Judicum, Ezræ, Nehemiæ, Estheræ & Jobi: sed imprimis illas Chronicorum & Regum, quas tibi omninò oportet esse familiares: In iis enim, tanquam in speculo, te ipsum contemplaberis in bonorum aut malorum Regum serie.

At

ERGA DEUM.

At Salvatoris nostri doctrinam vitamq; & mor-
tem scire cupis? Evangelistas evolve. Quod si eo in-
ludo majores adhuc progressus facere desideras, Apo-
stolorum cognoscendæ tibi sunt epistolæ. Viri autem
Doctrinæ Evangelicæ exercitium in hominibus primi-
tivæ Ecclesiæ videre? Acta inspice. Apocrypha Papistis
laudatoribus relinquo; in quibus multa referuntur,
quæ Spiritus Sancti stilum non redolent.

*Usus Evā-
gelii.*

Sed casto animo & verecundo Scripturas legere
oportet: Quæ non capis reverere; nec eorum, sed in-
tellectus tui tenebras incusa. Faciliora lege cum vo-
luptate, difficiliora cum curâ & studio. Contextum
ama, est enim optimus sui interpret, ultra quam ibi re-
peris noli exquirere, arrogantia est arcana scire velle,
quæ Deus sciri noluit; præsertim cum nihil nos cela-
rit, quod scitu opus erat. Iis autem Scripturæ locis
maximè te oblecta, quæ ad tui muneris notitiam ma-
ximè faciunt; Genealogiarum & contentionum argu-
tiis neglectis, quæ sunt inanes & inutiles.

*Quomodo
legendæ
Scriptura*

Fides autem, Religionis anima, persuasio quædam
est, & apprehensio Divinorum promissorum, & eorum
dem animabus nostris applicatio. Catena aurea me-
ritò illa dici potest, quæ fidelium animas Christo con-
jungit. Ea quoniam domi nobis non nascitur, sed gra-
tis à Deo cordibus nostris inseritur, non nisi prece ali-
potest, quæ nihil aliud est, quam familiare cum DEO
colloquium. Precandi magisterium, secundum Ora-
tionem Dominicam, absolutissimam illam precandi
regulam, pete è Psalmis Davidis, ex iis tanquam è pu-
rissimo fonte haustus, quicquid à Deo unquam pe-
tere necesse fuerit. Tibi autem hi magis accommo-
dati sunt, quam cuivis è populo; quia Regem habent

Tit. 3. 9.

*Fides Reli-
gionis nu-
trix.*

*Precandi
regula o-
ptima.*

*Precandi
exercitia.*

autorem, cui notissimum erat, quibus egeant Reges, & quid iis à DEO petendum sit. Consuesce orare, maxime cum solus es, at noctu cave, ne quando intermiseris, quantumvis interdium frequenter oraris, nam publicæ preces exemplo non minus inserviunt, quam precantis bono.

*Precandi
modus.*

Inter orandum nolo apud DEUM nimis sis hospes, ut ignora plebs, quæ DEUM non alloquitur, nisi è libro: Neque etiam nimis familiaris, ut Pharisæi Puritani, qui superciliis suis Deo videntur imperare: Hinc nascitur ejus, quem oras, contemptus; Illinc Orationis tuæ langvor & frigus. Tu Deum summâ cum reverentiâ compella: Nam si nec Subdito aliter cum Rege agendum est, quanto minus mortalem ullum decebit cum Deo, tanquam sodale, fabulari?

*Quid petendum à
Deo?*

Petenda autem sunt à Deo non modo spiritualia, sed etiam temporalia bona, nunc majoris nunc minoris momenti; ut concessa recondas in mente ad fidei tuæ confirmationem, & Divini erga te amoris arrham. Ora uti animus dictaverit, & pro re natâ. Sed cave, ne rem injustam ores, ut vindictam, libidinem, &c. ea enim oratio ex fide non est, & *quicquid sine fide est peccatum est.*

Rom. 14. 17

*Quomodo
oporteat
precum
nostrarum
eventus
interpretari?*

Compos Voti factus age Deo animitus gratias. Sin è vestigio res non cesserit ex voto, tu ne cede, sed exemplo viduæ, quod non statim concessum est, importunitate orandi extorque: At si tandem repulsam tuleris, scias, Deo ipso iudice, quod petis tibi non conducere: Atque adeo adversa rerum, quæcunque divinitus premunt, in hanc sententiam disces interpretari. Sic non tantum fortiter & absque periculo pericula

pericula sustinebis, verum etiam læto erectoque animo certam à Deo in medio certamine expectabis victoriam, qui omnia mala tandem vertet in bonum. Quod semel expertus, cum ad aliud periculum devenis, priore experienciâ utere pro clypeo, persuasus & hoc quoque esse à Deo, & tibi in bonum olim cedere, utut nubes inter pluendum tibi non translucet.

Conscientia, quam Religionis custodem nominavi, est notitiæ illius, cordibus nostris infusæ, lumen; *Conscientia Religiosa* semper vigil, omnesque actus nostros inspiciens; cuius testimonio lætantur qui bene agunt: At in scelere *stos.* perpetuum sceleris sensum relinquit. Ergo piis non minoris est solatio, quam impiis tormento. Nec enim id parvi est momenti criminum indicem nobiscum circumferre, quæ nobis novissimâ aut horâ aut die obicientur. Unde, cum nobis libet, vel invitè moneamur eorum, quæ ante mortem expianda sunt: Ut dum adhuc tempus est, agamus poenitentiam, & in magno illo die compareamus amicti stolis sanguine agni dealbatis. Ante omnia igitur annitere, mi fili, *Revel. 7. 14.* ut puram fervens & intaminatam conscientiam: Qualis hodie multis est in ore, oppidè paucis in corde. Inprimis verò à duobus morbis cavendum est, leprâ & superstitione: Illâ atheismi, hac hærescos parente. *Morbi Conscientiæ.* Leprosa ea conscientia est, quam Paulus *cauterio* dixit *inustam*: Quia jam securitatis callo indurata amissit sensum peccati; quod Davidi post adulterium & *1. Tim. 4. 2.* homicidium contigit, usque dum Nathanis parabolâ compunctus sensum recepit. Superstitiosam intelligo, quæ peregrinum Dei cultum sequuta verbi auctoritatem negligit, cui vera religio omnis innititur.

Lepræ

*Leprosæ
Conscien-
tiæ prothe-
rapeuticō.*

1. Cor. II. 31

*Dies su-
premi ex-
aminis.*

Horat. lib.

1. epist.

*Vera for-
titude.*

*Abuso ju-
ramenti.*

Lepræ protherapeuticon erit, si quotidie ante somnum omnia diei acta curiosè expenderis; in Christiano tuo & regio munere quid feceris, quod omis- se melius erat; quid omiseris quod fecisse decebat. Quo in examine noli tibi ipsi, cæco tui amore, blandiri, quo affectu omnes nimium laboramus, sed in te ipsum, velut in hostem, pronuncia. Nam si vos ipsos judicabitis, non judicabimini, ait Apostolus. Tum verò juxta severitatem decreti corrige futura. At hæc æterna cautio est, ne sciens volensque Conscientiam olim læseris. Nam si, excusso Conscientiæ freno, vel leviora delicta sciens volensque admiseris, longè ea sunt coram Deo iis criminibus graviora, quæ cæco quodam animi impetu & dormiente Conscientiâ designantur. Memineris igitur diem fore, quo tibi omnium ratio reddenda est: Et ut totâ vitâ discas mori,

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Nolo enim cum Papistis subitam & improvisam depreceris mortem, sed potiùs sic vive, ut semper paratus sis mori, ita veram fortitudinem consequeris, ne mortem, cum venerit, olim reformides. Cave etiam, ne mendacio aut jure jurando conscientiam vulneres; utut id joco factum possis interpretari; Assuetudine enim discimus jurare: Quod peccatum nec voluptate nec emolumento gratiosum est; eamque ob causam, etiam apud homines excusatione caret. Ex pravâ etiam consuetudine, qua pudor è vita exulat, oritur mendacium. Ideoque nec tibi veritas unquam neganda est: Quod ipsum quoque mentiendi genus est, sed tui ordinis hominibus vitatu facillimum. Nam propositâ quæstione, cui nolis satisfacere; Si responderis quærenti, nihil eam rem illius interesse; quis ulterius per-

percontari audeat? quo responso si subinde, & in rebus falsis pariter ac veris usus fueris; percontatores hi aliquoties frustrati desinent tandem impudentiæ.

Ut autem superstitionis morbo liberam habeas conscientiam, neque tuis ipsius inventis, neque aliorum, licet doctissimorum, ingeniis confidere oportebit: verum disertis Scripturæ Sacræ verbis inniti. Conscientia enim, quæ scientiæ certitudine subnixæ non est, aut ignorantia est, aut arrogantia. Duo igitur extrema tibi vitanda sunt, ne, scilicet, Ecclesiæ autoritatem certissimæ tuæ scientiæ cum Papistis anteferas; Deinde, ne tua ipsius commenta & insomnia cum Anabaptistis amplexeris.

*Contra
superstitionem.*

Verum hinc sedulo distingvendæ sunt res fidei ab adiaphoris, Substantia Religionis à Ceremoniis; & Dei voluntas revelata in Verbo à traditionibus hominum. Quidquid enim ad Salutem necessarium est in Sacris literis habetur, Jam verò circa res ab ipso Deo iussas & vetitas, utut eæ videantur exiles, nimium scrupulosus esse non potes. Neque etiam populari lance hæc talia expendere conveniet, sed aureâ Divinæ Voluntatis statera. Cætera, quæ æterno illo decreto sancita non sunt, retine, muta, everte, prout temporis requirit necessitas.

*Externarum
inter-
narumq;
rerum diffe-
rentia.*

Cum igitur Pastores Ecclesiæ ex Divino verbo tecum egerint, eos reverere, ut Dei altissimi caduceatores; & fac omninò quod jubent; Sin extra cancellos vagantes, sua aliqui commenta obtruserint, privatisque affectibus Zelum obtenderint, Vanos homines & ab officio suo devios eâ, qua par est, autoritate revoca in sui muneris orbitam, Tandem ut quod de Conscientia coepimus cum prima operis hujus parte

*Rerum ex-
ternarum
estimatio.

Conclusio.*

B te



te finiamus, *Deum in ore habeas parce*, in corde frequenter: intus illi soli vive, rigidus, severus: foris autem omnibus affabilis, communis. Et quod ames Virtutem, oderis vitia, magis re ipsa appareat quam verbis; malisque esse, quam haberi probus aut pius. Siquidem in Coelis non in terris exspectanda est horum merces. Quodque Christus de Eleemosyna & precibus mandavit, ut clanculum ea fierent, id de tota tua Vita dictum puta. Ita non solum vera & Christiana humilitate intus ornabere, & aetologo Phariseo perquam dissimilis coram Deo fateberis, inutilem te Servum esse, cum omnia feceris quae potes; Ipso Christo verba praecunte: Verum etiam turpissimae Simulationis, & Dissimulationis, & uno verbo, Hypocriseos crimen coram hominibus vitabis.

Luc. 10, 17.

DE OFFICIO REGIS IN SUBDITOS.

LIBER SECUNDUS.

Sed cum duplex tibi demandata sit provincia, cavendum est, ne alterutrum remissius administres: Ne dum Christianum hominem agis laudabiliter, Regiam personam in aequitatis & justitiae procuratione exhibeas oscitanter. Aequitati autem & Justitiae duplici ratione satisfeceris. Primo si optimas leges & sanxeris & exercueris: Nam in usu est legis anima: Deinde si tuo ipsius & comitum exemplo populum ad bene vivendum invitaveris. Ita enim inter homines comparatum est, ut Simiorum more Regum suorum mores imitentur: Quemadmodum divinus Plato observavit, & poeta his ex eo verbis expressit:

Officium

Regis.

Plato in

Polit.

Isocrates

in Sym.

Plato in

Polit.

Com-

*Componitur Orbis**Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus**Humanos edicta valent, ut vita Regentis.*

Ut autem facilius intelligas, quæ tuæ sint partes in legibus ferendis exercendisque, discrimen tibi inter Regem & Tyrannum observandum est. Contraria enim juxta se posita magis elucescunt. Rex agnoscit se populo natum & Regno à Deo præpositum, cujus administrati ratio Deo quoque reddenda sit. Tyrannus populo se factum negat, imò verò omnia arbitratur in libidinis suæ & cupiditatis prædam jure cedere, utpote magnanimitatis suæ præmia. Et ut scopum contrarium uterque sibi proponit, ita etiam contraria via ac ratione in illum feruntur. Rex bonus nihil putat laudatius, quam cum laude suo munere defungi; Ideoque bonarum legum Sanctione & usu, omnique præterea consilio & ope tranquillitati bonoque populi invigilat; Quemadmodum Patrem Patriæ & benignum Dominum addecet, cui ex Civium felicitate maxima oriatur voluptas, ex eorumque amore unica Securitas, qui suos affectus & vota saluti populi proponat, & Bonum publicum suam interpretetur opulentiam. Tyrannus nihil ducit gloriosum, nisi per fas & nefas suæ ambitioni inservire; nec nisi per factiones & intestina Civium dissidia se tutum arbitratur. Tantisper ille Pietatem præ se fert, dum rerum potitur; At compos voti leges aptabit affectibus suis, Rempubl. Cupiditatibus: Omnes faciet miseros, ut se locet in tuto: Denique vitrici & mercenarii more ex Reip. dispendiis rem privatam faciet. Quam autem dispares utriusque sunt mores, tam dispar, quoq; eos insequitur merces.

*Claudianus in 4.**Conf. Honorii.**Regis & Tyranni**discrimen.**Plato in**Polit.**Arist. 5.**Polit.**Xenoph. 8.**Cyr.**Cic. 5. de**Rep.**Aristot. 5.**Polit.**Tacit. 4.**hist.*

*Boni regis
exitus &
merces.*

Nam bonus Rex, laudabili & felici defunctus Imperio, moritur sine sanguine: & Civibus luctu, vicinis admiratione, omnibus verò Virtutis suæ famâ relictâ æternæ felicitatis Coronam assequitur in cœlis. Et licet etiam ex his nonnulli (quod rarò tamen accidit) civium suorum parricidio intereant, & certe neque eorum fama, neq; parricidarum infamia unquam interibit: Ut taceam supplicia, quibus in hac vita certo certius vindicatur sceleris illius atrocitas. Turpis illa & maculosa Tyrannorum vita tragicè finitur. Quos habere se putant Subditos faciunt carnifices: Ultione (fateor) semper injusta & ultoribus indigna; Sed quam sui non dolent, exteri etiam rident. Ita ille populo vixit invisus. Itaque ad scelerum memoriam in terris superstitem, & non morituram in inferno pœnam hoc quoque accedit calamitatis, ut jure cæsum sanciat posteritas.

*Exitus Ty-
ranni A-
rist. 5. Pol.
Isoc. in
Sym.*

Tu, mi Fili, duobus hisce propositis, quod melius est elige & imitare; Regiamque illam & arduam Virtutis viam ingredi: in qua si lapsus fueris, non erit indecorus casus, nec hominibus bonis indefectus.

*De legum
sanctione.*

Ut nunc igitur eò, unde digressa est, revertatur oratio; Sanctionem legum tuæ permitto Prudentiæ, & prout nova in populo vitia, novas corruptelas observaris. Nam ex malis moribus bonæ leges natæ sunt; Quamquam vereor, ne in hoc regno justior sit de legum executione, quam de numero querela. De illa igitur pauca præcipere est animus. Hoc unice cave, ne in comitiis, quæ legibus rogandis primo destinata fuere, privatorum hominum negotia tractari permiseris.

*Comitio-
rum au-*

Nam ut ille ordinum consensus amplissimus censeretur, Regis videlicet suprema Curia & (si ex primævâ in-

stituti-

stitutione censeatur) ad leges rogandas aptissima: *thoritas*
 Ita si à vero usu ad privatas civium controversias traha- *& verus*
 tur, nihil illo cogitari potest iniquius. Videbis legum *usus.*
 specie adversus partes sententias pronunciarum gravis- *L. 12. tab.*
 simas & (quod pessimum est) irrevocabiles; Cum inter-
 ea Ordines ipsi nesciant plerumque, cui noceant.
 Comitiam igitur ne indixeris, nisi legum ferendarum
 causa, & id raro. Nam in bene administratâ Rep. pau-
 cæ leges sufficiunt, modo non otiosæ. De proscrip-
 tionibus quoque in Comitiam agi solet: Sed id genus
 ultionis rarius censeo tentandum; nec nisi in crimini-
 bus atrocioribus, quæ proscriptos venia & restitutione
 in integrum prorsus faciant indignos. Levioribus de-
 lictis aliæ poenæ satis acres constitutæ sunt.

Ut igitur quod Leges imperant, ut oportet, exe- *Cic. 3. de*
 quaris; Revoca tibi in memoriam, in eo quoque di- *Legib. &*
 stingvi Tyrannum à Rege, quod specie probitatis fu- *pro D.S. &*
 cum ille faciat populo, dum confirmet Tyrannidem; *pro Sect.*
 tum verò cupiditates indomitæ primo erumpent in *De Legum*
 nervum. Noli tu æmulari Neronis quinquennium, aut *executiõe.*
 molle illud votum, *Vellem nescire liqeras*: Quin potius *Usurpan-*
 in transgressores, quicumque demum fuerint, leges *da in prin-*
 exerce. Nec enim precario aut vi, sed successionis *cipio regni*
 & sanguinis jure Regnum adeptus es; nec est quod sedirio- *severitas.*
 num metu impunita dimittas scelera, id quoque per- *Sen. de Cl.*
 suasus, maximam hominum partem natura sua esse *Aristot. 7.*
 justitiæ amicos. Quemcunque autem punieris, id ju- *Polit.*
 stitiæ amore feceris, non ut justitiæ obtentu cupidita- *Plato 2. &*
 ti tuæ satisfacias. Nam coram Deo homicidii reus *10. de Rep.*
 eris, etsi ille poenam jure meruerit, quem punis. Nec *Cic. ad Qu-*
 enim tam respicit Deus quid egeris, quam quo consi- *fr.*
 lo egeris.

*Laudabile
tempera-
mentum.*

*Plato in
Polit. & 9.*

de L. Sal.

Orat. ad

Cæsar.

*Exemplū
domesticū.*

*Crimina
sine veniā*

*Crimen
læsæ maje-
statis vel
dignitatis
regiæ.*

*Contume-
lie regii
Stemma-
tis.*

Severâ Justitiæ manu sic firmato Imperio ; Cum populus jam tēserit posse te, ubi usus est, ferire ; in posterum licebit tibi justitiam misericordiâ temperare, parcere aut plectere, prout nempe delinquentis error aut voluntas, aut ante acta vita videbitur mereri. Nam si ab initio Clementiam ostentes, crescet in imensum delinquentium numerus, crescet tui contemptus : Et cum punire volueris, major erit fontium, quam infontium numerus : Nec promptum erit discernere, unde facere oporteat initium pœnæ. Atq; ita multos perdes invitus, quos tempestivâ paucorum pœnâ servare potuisses. Tu meo ex periculo potes hic esse cautior. Nam cum ego mansuetudine mea instituissem populum trahere ad Legum obedientiam; contra accidit, ut omnia plena facta sint tumultibus, ego vero pro mercede ne grates quidem retulerim.

Quamvis autem Severitas hæc tua, (ut jam dixi,) temporaria futura sit; ea tamen est quorundam scelerum enormitas, ut nunquam sine scelere condonari possint: Cujusmodi sunt Magia, Homicidium deliberatum, Incestus intra vetitos consanguinitatis gradus; exhibitio veneni, Adulteratio monetæ, Pæderastia. Siquis in te deliquerit, aut tuam auctoritatem læserit; tuo ipsius arbitrio, qui læsus es, & pœnam & veniam permitte, ut inspecta delicti indole, & delinquentis ingenio, statuas, quod è Rep. maxime esse judicaveris.

Criminibus illis, quæ extra spem veniæ constitui, unum adhuc libens adjungerem, ni parci judicis in hac causa suspiciouem vererer, id tamen, mi Fili, te non celabo, utut eo judicio Verecundiæ fines transire videar. Est igitur crimen illud, nonnullorum hominum

minum

minum in scribendo & loquendo adversus Parentes & Majores tuos acerbitas. Nosti divinæ legis præscriptum, *Exod. 20.* *Honora Patrem & Matrem.* Tu cui ea potestas data est, noli permittere, ut impunè ulli liceat Parentes & Principes, Majores tuos incessere. Ad Te quoque pertinet, *Plato 4.* *de Leg.* apud posteros hoc exemplum. Quidquid enim in decessores tuos licere voluisti, idem quoque in te statuent vicissim licere. Nemo nostrum [fateor] est sine Crimine, quod & coram Deo agnoscere & corrigere, omni ope debemus: At publicæ dicacitatis materia ea esse non debet. Et quum nemo hodie vivat Princeps, qui cum Majorum Nobilitate non audeat certare; coercenda est eorum malignitas; qui dum vitiis simulant se hostes, stirpem Regiam satagunt infamare & populi benevolentiam à posteris avertere. Nam quo pacto te ament, qui stirpem tuam oderunt? Aut quare vulpium luporumve prolem etiam lactantem occidimus, nisi quia genus nobis invisum est? Quare Neapolitani Equi pullus carius venit Asinino, nisi generis gratia? Prodigii simile est, si quis Filium diligat & Parentem oderit, imo nulla est ad illius contemptum proclivior via, quam per hujus infamiam: Quam rem mea ipsius experientia possum confirmare. Ut enim supplicia taceam, quæ hisce oculis inflicta in eos vidi, qui adversus Parentes meos perduelles fuerunt; hoc ausim dicere, ex iis, qui tum temporis adultæ ætatis erant, neminem mihi in angustiis fidum repertum, nisi qui Parentibus meis fidelis fuerat. Eos præcipue intelligo, qui Reginae Matri operam dabant. Modo enim tibi quod res est bona fide indicem, mi Fili, quid perduellionis rei fautoresq; fenserint susq; deq; habeo. *Tyrannica Procerum suam, perbia.* Nescio an effrenem hanc Nobilium Virorum licenti-

Arist. 5 am, qua debiliores superbè opprimunt & affligunt, in-
Polit. Isoc. ter priora crimina connumerem; cum jam primæ no-
de Regno tæ hominibus virtus ea esse cæperit: Certè vindicem
Cic. de of- Regis manum inter præcipua exposcit. Tu sedulò in-
fic. & ad istos inquire & severe reprime; ut ponant tandem su-
Qu. Fr. percilia & æquali jure vivant cum cæteris. Suscipe cau-
Regis glo- sam pauperis & afflicti, ut tuam: Et id demum verè Re-
ria. gium putato, Superbos deprimere. Neque hic cujus-
 quam gratia moveberis, neque tuo parces labori, ut mise-

Exemplar rorum vindices injurias. Veniat tibi in mentem, Avo
imitandū. meo, laudatæ memoriæ, splendidum partum titu-
 lum, quum ob debiliorum patrocinium *Rex paupe-*
rum appellaretur. Et cum in privatorum litibus com-

Deut. 1. ponendis præcipua Regii Officii pars versetur; memi-
 nisse oportet Dei Thronum esse, cui insides: ubi ad
 dextram aut sinistram deflectere, vel diviti favere aut

Plato in pauperis misereri non licet. Justitia oculis orba est &
Polit. Cic. amicis. Illic tuis gratificandi, aut hostibus adversandi
ad Qu. Fr. nullus est locus.

Arist. 1. Hic res ipsa monet, ut de Montanorum & Limita-
Rhet. Plat neorum hominum ex lege vitâ nonnulla subtexam.
II. Is. Montanos nostros lingua & origine Hibernos, in duo
De Mon- genera distribuo. Unum ex eorum, qui Scotiæ con-
tanis, tinentem habitant, quibus in magnâ barbarie super-
 est tamen aliqua humanitatis species. Alterum est In-
 sulanorum, omnino ferum & agreste, omnisque plane
 Civilitatis expers. Priores facile erit in officio conti-
 nere, si Leges exerceas adversus Tribuum Principes, à me
 latas. Posteriores domabis, si meo exemplo colonias
 è continenti in Insulas deduxeris, idoneorum Civium,
 ut eorum conversatione Humanitatem discant, quibus
 paulò melior est indoles. Cæteri deploratæ feritatis
 aut è medio tollendi, aut alio transferendi.

De

De limitaneis, non est quod multa tibi ingeram; *De Limitaneis.*
 Si totius Britanniae imperium, quod tibi divino humanoque jure debetur, olim fueris consecutus, istos tunc in medio positos legibus tam facile ac ceteros frenabis. Sin aliter [quod non spero] evenerit, tum vero nec borealis hujusce & sterilius insulae partis, nec tuae vitae tibi secura erit possessio.

Ut igitur juste prudenterque populum regas, *Res notandum* scire expediet, quibus a natura morbis afficitu *digna* soleant: Quemadmodum Medici aegrotantium cura- *ut bene* tionem non ante aggrediuntur, quam peccantis in *regnes.* corpore humoris indolem perspexerint. At quibus *Plat. in* praecipue vitiis singuli hujus Regni ordines tenentur. *Polit.* ipse expertus notabo. De Anglorum moribus inter quos nunquam vixi, nihil temere pronuntiabo; quanquam Deo favente sperem me hospitem in ea Rep. non moriturum.

E tribus ordinibus hominum, in quos antiquo *Trium or-* hujus regni jure Subditi omnes divisi sunt, nullus est *dinum* qui non suis laboret vitiis, quae longo jam usu fere a- *examen.* pud eos pro virtutibus habentur: Non quod in singulis Ordinibus nemo reperiat purus contagione; Bonos enim & malos ubique offendas; Sed quia mihi experientia notum est, ejusmodi vitiis ipsos hominum ordines teneri, & ne videar Ecclesiae praerogativam laedere, ea primas in hoc examine tenebit.

Haereditarius ille morbus, qui a mundi initio Ec- *Ecclesiae* clesias afflixit & pessum dedit, ab una ad aliam transla- *morbi.* to [ut Johannes ait] candelabro, est ambitio mixta avaritia: Unde etiam nostra & parentum memoria Papatus inter nos & alibi gentium subversus fuit. At vero Religionis in Scotia reformatio non sine arcano Numinis

Occasio minis auxilio peracta fuit. Tam multa in populari
Tribuni- tumultu, & rebellione Civium perturbatè facta fuere,
tie pote- ab iis, qui suis indulgentes affectibus Dei opus nesci-
statis Pu- entes promovebant [ut ex magnificentissimorum ope-
ritanor. rum ruinis apparet] & hæc omnia absque Principis
 jussu: Contra quam in Anglia & Davia factum est, va-
 riisque Germaniæ partibus.

Hic è Ministerio homines nonnulli præcipites,
 ignei, audaces, in hac humanarum divinarumque re-
 rum confusione, tam gratiosi ad plebem facti sunt;
 Ut, degustata dominationis dulcedine, ceperint Demo-
 craticam Reip. formam sibi somniare: Et primo aviæ,
 deinde matris meæ subversione elati [& nimium sane
 blandiebatur iis successus] postremo pupillari meâ æ-
 tate ad Democratiaæ suæ stabilimentum diu abusi, jam
 potestatem tribunitiam spe certâ devoraverant: Ut

Tales e- in populari Rep., cum plebem, quo vellent, facile
rant Athe- circumducerent, omnium negotiorum momenta soli
nis Dema- temperarent. Itaque nulla in meâ pupillari ætate, vel
gogi. post, seditio contigit, quia homines sui furoris & amen-
 tiæ patronos seditiosi facere conati sint. Crebræ ad-
 versus me in tribunitiis concionibus calumniæ spar-
 gebantur; Non quod crimen aliquod designassem, sed
 quia Rex eram, quod omni crimine pejus habebatur.
 Ac quoniam hanc odii causam palam profiteri pudor
 erat, sollicitè in vitam meam moresque inquirebant,
 minima quæque errata augentes in immensum; ru-
 moribus etiam falsis ad calumniam arreptis: Et quan-
 quam omnino videri volebant culpam ab officio & vi-
 tium ab homine distingvere; Larva tamen in cautis
 nonnunquam decidebat, & consilia, quæ tanto studio
 tegebant, suo prodebant indicio; Nempe omnes Re-
 ges

ges & Principes Ecclesiæ libertati esse inimicos & ju-
 gum Christi non ferre æquanimiter. Hac doctrinæ
 salubritate suos illi greges pascebant.

*Regiæ po-
 testatis op-
 pugnatio.*

Quoniam vero è Ministerio viri eruditi & probi,
 quos temeritatis hujusce & audaciæ pudebat, revoca-
 re nitebantur temerarios ad consilium, abnormes ad
 modestiam; Nec minus exemplo, quam voce, malè
 sanos corrigere; Tum vero homines factiosi unum
 furoris sui præsidium in paritate collocarunt; quâ fre-
 ti homines improbi, audaces, imperiti, pios, Sapien-
 tes & modestos redarguerent.

Est hæc paritas mater confusionis, inimica unitatis,
 quæ est ordinis parens: Quod genus si ut in Ecclesia ita
 quoq; in Rep. obtineret, omnia certo certius misceri necesse
 foret. Si utramq; ames, ex utraq; pestem hanc egere;
 Puritanos inquam, quos nec beneficiis devincias, nec ju-
 rejurando fidos facias, nec promissis constringas; Sine
 modo ambitiosos; Sine causa maledicos; Nec quid-
 quam spirantes nisi seditiones & Calumnias; Quibus
 una conscientie regula est, non divini verbi autoritas,
 sed commentorum suorum vanitas. Testor illum ma-
 gnum Deum (nec testamentum condenti fas est men-
 tiri) nunquam inter Montanos aut Limitaneos nostros
 latrones majorem ingratitude, aut perfidiam repe-
 riri posse, quam inter hos phanaticos nebulones. Nec pa-
 tere, si pacatè vivere decreveris, ut hi eadem tecum
 patriâ fruantur, nisi forte patientiæ experiendæ ergo, ut
 Socrates vixit cum Xantippe.

*Paritatis
 obtentus.*

*Malum in
 Rep. Semi-
 narium.*

Xantippe.

Una est contra hanc pestem cautio; Si è ministerio
 viros doctos & pios, quorum in hoc regno [Deo sit gra-
 tia] satis magnus est numerus, ad Episcopatus, aliosq; in
 Ecclesia honores selegeris, pudendâ illâ Annexationis

*Antidoto
 hujus mali.*

*Paritatis
& Monar-
chiae oppo-
sitio.*

lege, nisi mea opera antiquatam inveneris, abrogata. Ita subrutis fundamentis, non modo imaginariam illam paritatem evertes, quæ cum legitima administratione Ecclesiæ, ut Reip. pace, aut Monarchiæ bene institutæ legibus nunquam conveniet. Sed etiam in Regni comitiis antiquum illum trium ordinum honorem restitues, id quod aliter fieri omnino non potest. Ego tibi hac in re [si Deus dederit] viam præmuniam; tu, quod reliquum erit, iisdem vestigiis persequere.

*De Ecclesia
consilium.*

Ad summam, id tibi de ordine Ecclesiastico consultum velim, ut bonum pastorem impense diligas, superbum puritanum impensè oderis; nec ullum titulum splendidiorum putes, quam ut *Ecclesiæ nutritius* saluteris. Templum omnia pastoribus, Scholas, Ecclesiæ Seminaria, doctoribus instruas, annonisque & Salariis ornes, doctrinam & disciplinam sine labe conserves, fastum deprimas, modestiam provehas. Ita, dum potestati superiori debitus à pastoribus defertur honos, & pastoribus à grege, pietate, pace, literis florebit Ecclesia, tuq; ex ea re summum capies oblectamentum.

Cæterum non minus cavendum censeo à superciliosis istis Romano Pontifici addictis Episcopis, quam à Puritanis: Ut quemque igitur ad dignitatem istam selegeris, statim iis legibus circumscribere oportet, quæ omnem corruptelam facile excludant.

*De moribus
Procerum.*

Ecclesiastico ordini succedat Nobilitas; Cui licet in comitiis Regni secundò tribuitur locus, facile tamen seu bene agere libeat, seu malè, primas ea tenere censenda est.

Ego proprium hujus ordinis & veluti hæreditarium observavi vitium, inanem quandam magnitudinis, & potentiae suæ persuasionem. Inde usq; à teneris annis pestiferà opinione imbuti sunt, sibi suam non

con-

constare dignitatem, ni triplici se nobilitarint injuriâ. Prima est, quod debiliores in servitutem redigant; Et vicinos, licet nullo iis nomine obnoxiiis, ad obsequium cogant. Secunda est, quod clientes suos, quidquid demum contra leges admiserint, omni ope defendant, & tueantur, nemini enim vitio verti potest, si justam amici causam, quantum potest, promoveat. Tertia est quod adversus æquales, à quibus se læsos interpretantur capitales inimicitias suscipiant; easque, Deo, & Rege, & Rep. insuper habitis; inhumaniter & superbè exercent, homo contra hominem & tribus contra tribum. Quin & Regem suæ modestiæ non parum æstimant debere, si, pacis publicæ ergo, in paucorum dierum inducias ejus jussu consenserint: Cum tamen ipso naturæ jure teneantur legibus obedire, & pacem vel capitis sui periculo sanctam tectam conservare.

His malis ut obviam eas, nobiles condocere, *Horum* oportet, ut legibus juxta cum infimis pareant. *Quo-* rum indignationes & iras, dum tibi bene conscius es, se- *malorum* curus spernas. Nunquam enim istis Principum refor- *remedia.* matoribus res bene succedit, nisi ubi insignita quædam *Arist. 5.* præcesit regiminis deformitas. Ergo cum Baronum *Pol.* & Nobilium tuorum probissimo quoque tibi fami- *Xen. in* liaritas contrahenda est; tum honesti loci atque ordinis *Cyr. Isoc.* hominibus, quibuscunque demum, ea tui facienda est *in Eu. Cic.* copia; ut affabilitatis fiducia coràm de rebus suis, metu *ad Q. fr.*posito, tecum agant, neu Comitum tuorum interces- sione egeant. Sanctorum enim mediatio est Papisticæ superstitionis. Ita istorum fastum ad mediocritatem & modestiam revoces. Capitales autem inimicitias hoc pacto optime compones, si leges adversus eas à me latas exerceas; initio quoque ab eis factò, quos tibi præ-

ter cæteros devinxis, ut illi omnibus exemplo sint, quibus ipse maxime faves. Quum à Vestâ [ut dicitur] & à tuo lare emendationem inceperis, paulatim inde ad usque Regni fines feliciter perduxeris. Neque enim cessandum harum inimicitiarum barbariem, quarum nomen etiam exteris ignotum est, penitus aboleveris. Tu etiam atque etiam vide sis ne leges meas, de Bombardis & Pistolis, quas vocant. unquam otiosas esse patiaris. Neque vero de illis, qui infame hoc armorum genus portare audent, alia tua vox sit, aut sensus aut supplicium; quam de Sicariis & latronibus.

Verum alterum extremum non minus sollicitè devita; ne Nobilitatem tuam negligere, aut despiciere videare, qui error Avo meo cum mœrore mortem attulit. Considera, claritati generis vulgo comitem esse virtutem: Et viris Nobilibus vel majorum suorum gratia, cultum deberi. Qui igitur ex hoc numero legibus parent, patres & proceres regni agnosce; & quanto fuerit aula tua his talibus stipatior, tanto majori tibi ducito ornamento: Horum, in maximi momenti negotiis, consilio utere & operâ. Nec sane in hoc regno alia esse possunt, aut Regum aut legum brachia. Ita obsequentibus te comem præbe & contumacibus severum; ut summi persuasum habeant nihil fore sibi majori præsidio, aut honori, quam si cum imis de observantia legis & Regis incedant certamen. Hoc enim eorum auribus semper inculcandum est, nullum servitii genus tibi fore acceptius, quam si ipsi præstent, & ab aliis præstari faciant legibus obsequium; absque quo cætera, quæcunque præstare poterunt, omnia ingrata fore.

Furium regalium hereditas. Sed nihil est quod legum usum magis impediatur, quam juris Regalis hæreditaria penes Nobiles quosdam pote-

Plato in 1.

Al. in Pol.

Et 5. de l.

Arist. 2.

Oecon.

Xenoph. in

Cyr.

Furium

regalium

hereditas.

potestas; Vera totius Regni calamitas. Nihil mihi in
 præsentia consilii hic succurrit, nisi ut Severissimam à
 singulis exigas officii rationem, & quantum leges per-
 miserint, cessantium castiges ignaviam. Et si quis po-
 testatem hanc suo vitio amiserit, nemini post illum hæ-
 reditario jure illam concesseris. Verum ad laudabilem
 Angliæ consuetudinem omnia hæc paulatim aptare stu-
 debis, quod tibi factu erit facilius, quum ibi quoque [uti
 spero] rerum potitus fueris.

Nunc ad tertium illum civium ordinem venia-
 mus, [nam minorum gentium Barones nobilibus ac-
 censemus] ii e mercatoribus & opificibus mixti sunt, quo-
 rum utrique suis laborant malis. Mercatores Remp. ideo *Mercato-*
 institutam putant, ut ipsi locupletentur & ex populi in- *rū mores,*
 commodis ditescere, is vero est legitimus eorum quæ-
 stus, Res necessarias exportant, reportant vero inter-
 dum inutiles, interdum nullas. Vilissimas nobis mer-
 ces emunt, quas carissime distrahunt: Et quanquam
 annonæ pretium, pro copia aut inopia mutari soleat,
 nunquam tamen mercium precia apud eos mutantur,
 nisi in majus. Tanta illis est in malâ consuetudine con-
 stantia, ac si pragmatica sanctione stabilita foret. Ho-
 rum culpa monetæ etiam bonitas degenerat: nostram
 enim exportant, alienam ad nos referunt, quacunque
 ipsis libitum est æstimatione. Adversus hos & similes
 eorum mores leges habemus; quas tibi censeo exercen-
 das: Sed tria hæc sedulo curato: Ut honestos, indu-
 strios & paucos constituas inquisitores [remissè enim
 fiunt, quæ fiunt à pluribus] quibus Fiscalem, virum fi-
 dum & acrem præficies. Deinde externos ad te nego-
 tiatores invites, ut optimas merces à primis venditori-
 bus emas vilissimè. Precia denique idonea rebus con-
 stituas,

*Plat. 2. de
 Rep. 8. &
 11. de leg.*



stituas, observata aliarum regionum æstimatione; Cui si nostri stare nolint, liberum esto alienigenis quibuscunque ea mercium genera advehere.

*De mone-
ta consi-
lium.*

Et quia facta est pecuniæ mentio, ex puro auro argento que eam fieri volo; nec pondere illudi populo, sed satisfieri bonitate. Ita Remp. ditabis, & si belli & adversarum rerum ingruat necessitas, instructum habebis ærarium. Nam vilioris metalli mixtione quæstum quidem facere possis; sed nollem id à te fieri, nisi aliàs vitare nequeas.

*De artifi-
cibus Pla-
to. II. de
legib.
Angliæ
prudens
factum.*

Ea est opificum nostrorum de se ipsis opinio, ut nec pretia, quæ statuunt labori, patiantur minui: Neq; etiam argui inscitiam. Si alterutrum feceris ægre illi ferent & indignabuntur. Tu nihilominus hac in re Angliæ secutus exemplum; quæ postquam peregrinos artifices admisit, mirum in modum floruit: Non tantum copiam veniendi facies, sed etiam ultro externos invitabis.

*Plato 9. de
leg.*

Quod si ex voto successerit, tum tuorum adversus illos invidiam severissimè coërcebis; ut in primo illo exterorum opificum adventu in Anglia factum novimus.

*Morbus
populi.*

Unum restat vitium, quod plebem nostram & ruri & urbe pervasit; effrenis de Principe loquendi & iudicandi temeritas. Resp. his architectis formatur nova, præsentium fastidio & desiderio futuri, licet ignoti. Cuius petulantia medela [si leges jam latas excipias] nulla mihi videtur opportunior, quam si ita officio tuo fungare, ut vanis atque impudicis hominibus os obstruas: Tantaque sollicitudine populi bono invigiles; ut ne Momo quidem ipsi supersit calumnia, & sic cum severitate misceas clementiam, ut & procacibus istis capistrentur ora, & modestioribus non modo sua constet incolunitas, verum etiam ex tua benignitate commenda-
tionis

*Plat. 2. de
Rep. 8. de
leg.*

tionis & præconii oriatur occasio. Eam ob rem, & ut Arist. s. Po-
 mutuum inter cives foveas concordiam, non abs re fu- lit. Isocr.
 erit spectaculis, & ludorum celebritatibus, & armis tra- in Paneg.
 ctandis anniversarios dies instituere; & vicinos ad con-
 viviorum festivitates cogere. Nec enim video, qui
 major sit ludorum in Majo vel epularum in natali Christi
 die superstitione, quàm jejunii quadragesimalis, aut absti-
 nentiæ à carnibus diebus Veneris; Cum Papistæ utrum-
 que pari diligentia faciant; si modo diem Dominicum,
 ludicris istis exemptum, *Deo soli* consecremus. Tu istam
 populo placendi rationem, quæ in omni bona Rep. ho-
 nestissime obtinuit, si reduxeris, vetus illud merebere,

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Horat. de
 art. poet.

Vides, mi Fili, ut desiderio tibi omnia sincere indicandi
 non dubitarim paulo magis esse Satyricus, & omnium
 in meo Regno ordinum vitia acrius perstringere. Sed
 testor Deum paterno in omnes animo id factum, & solius
 vitii odio; quum in singulis ordinibus bonos viros repe-
 riri quam plurimos non ignorem.

Ut autem depravatos hosce hominum mores faci-
 lius emendes, multum utiq; intererit, populi ingenia,
 imo vero uniuscujusque tractus, & territorii noscere,
 consuetudines. Itaq; illius regni, in quo mansurus es, *Plat. in*
 præcipuas partes tibi censeo quotannis obeundas: Ne *Polit. &*
 pigeat regna tua omnia, quæ per Dei gratiam consequeris, *Min. Ta-*
 tertio quoque anno lustrare, ut querelas tuorum ci- cit. 7. An-
 vium, & preces eorum coram inspicias, non omnia *nal. Mart.*
 Prore-
 gum tuorum arbitrio permittens: Et quanqvã in singu-
 lris regnis sua institues dicasteria, suumq; ex indigenis Se-
 natum; non erit tamen alienum præcipua tibi ipsi reser-
 vare negotia, de quibus ipse, cum eo venies, ex æquo
 & bono statues.

D

Neq;

Prohiben- Neq; modo tibi annitendum est, ut cives tui nul-
das esse lam inter se patiantur injuriam, verum etiam, ut ab ex-
exterorū terorum vi securi sint. Nec enim tibi gladius datus est,
injurias. ut solas tuorum inter se injurias vindices, sed & ab ex-
Xen. 8. teris illatas. Nam justa sunt bella honestis modo de cau-
Cyr. Arist. sis suscepta. Ideoq; ante omnia prospice, ut tuis à parti-
5. Pol. Po- bus justitia sit.

lyb. 6. Dio- Cum aliis Principibus, tanquam fratribus tuis ju-
nys. Halic. stitiam & benevolentiam colito. Quidquid promiseris,
car. de Ro- vel cum tuo damno præstato; humanitatis & officiorum
mul. quasi inito cum singulis certamine. Ut enim apud o-
Quomodo mnes, ita maximè apud hos candoris, & fidei laus tibi
cum exte- quærenda est; & Christianæ charitatis præceptum ser-
vis princi- vandum, ut alteri facias, quod tibi factum cupis. Ergo
pibus a- rebelliones adversus alios Principes, exempli metu,
gendum tuas putabis injurias. Ejusmodi perduellibus neque
Isoc. in mittes auxilia, nec quidquam credes; sed afflictorum
Plat. & Principum calamitatibus succurres. Quod si quis tibi,
Parag. aut populo tuo ultro fecerit injuriam, quem neque offi-
Arist. ad cio neque merito ad sanam mentem revoces; tu absque
Alex. omni ferocia compensationem petes; & ex æquo & bo-
Varr. 11. de no controversiam deceptabis: tum vero, si nulla hone-
V. P. R. sta conditione persuadere poteris, ut desinat nocere, aut
Cic. 2. off. restituat ablata; Ultimum sane erit refugium, ut in-
Liv. lib. 4. nocentiam tuam Deo commendes, sed amicitia per fe-
Liv. l. 2. ciale prioris palam renunciata.
Cic. eod.

De Bello. Verum cum bellandi ratio à multis tractata sit, & u-
Propert. su potius quam lectione discatur, quid à te hic fieri ve-
4. eleg. Lu- lim paucissimis monebo. Præcipuum tibi sit in æqui-
can. 7. tate causæ præsidium, deinde cætera ad eam tuendam le-
Varr. 11. gitima conquire subsidia: Nam Necromantas vel hario-
de V. P. R. los consulere, quam sit impium, docet funestus Saulis exi-
 rus.

tus. Ab aruspicina, & profana divinationum vanitate, penitus abstinendum est, juxta legem domini, fusius à Jeremia explicatam. Neque unquam singulari certamine controversiam decideris. Præterquam enim, quod totum hoc genus illicitum videatur, in quo exitus litis quasi forti & alexæ permittitur, cujus nullum est fundamentum in Sacris literis post vetustæ legis abrogationem; In Rege sane inprimis illicitum putandum est; qui publicam gerens personam, sui ipsius potestatem non habet. Ejus enim salus vel interitus cum Reip. incolumitate aut pernicie, ut capitis & corporis conjuncta est.

1. Sam. 31.
Deut. 18.

Plut. in
Sert. &
Ant.

Luc. 14.

Priusquam bellum susceperis, Regis illius a Christo descripti prudentiam æmulare, provisus omnibus, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt; & inprimis pecunia, belli nervo. Ductores ordinum senes elige expertosque militiæ, milites vero juvenes & robustos. Quin & se- verum militaris disciplinæ exactorem te volo, non modo ordinis servandi causa, cujus non minor in bello usus est, quam fortitudinis; & desidiæ puniendæ, qua nonnunquam totus exercitus periclitetur: Verum etiam ut seditiones avertas, unde certa in bello pernicies. Hispanos intuere, quorum tantos ubique successus soli militaris disciplinæ custodiæ adscripseris. Sæpe enim in bello non est, nisi semel errare.

Thucyd. 2.
Sal. Jug.
Cic. pro
leg. Man.
Demosth.
Olynt. 2.
Liv. lib. 30
Veget. 1.
Cæs. 1. & 3.
de Bell.
civ. Pro
in Thr.

Parum somno indulge, multum labori; & hic ut in cæteris rebus peritissimos adhibe in consilium.

Cæs. 1. Bell.
civ.
Liv. l. 7.

Cum militibus ut commilitonibus agendum est, ut eorum studia invites; ideoque & sine modo iis largiendum. Nullus enim hic parsimoniam locus est. In de- liberando lentum te volo & sagacem; definiendo con- stantem; faciendo promptum & acrem. Castra tua

Xen. 1. & 5.
Cyr. & de
discip. mil.
Plut. in
Ages.



Xen. 1. Cyr bene munito: hostem, nisi rei gerendæ se offerat occa-
Thucyd. 5. sio, ne adoritor, eum neque spernendum tibi consulo,
Isoc. ad neq; metuendum. In stratagemate excogitando inge-
Phil. niosus sis, idemque honestus; Non parum hinc est sub-
Plato 9. fidii, si adsit taciturnitas. Licebit tibi in conflictu pe-
de leg. riclitari, sed semel, aut bis. Parta autem fortitudinis aut
Liv. lib. 22 magnanimitatis opinione, pone militarem audaciam.
Et 31. Nec quibuslibet te periculis objicies, sed omnium te fa-
Tacit. 2. luti conserva, quorum major habenda cura est, quam
hist. tui.
Plut. de tui.

fort. Ne temere bellum susciperes modo consului; nunc
De pace. consulo ne temere pacem facias. Priusquam transe-
Isocr. in geris, vide ut per pacis condiciones suscepti belli causæ
Arch. compensentur, tuæque & populi securitati prospici-
Polyb. 3. ciatur. Alias honestum bellum ignominiosæ paci præ-
Cic. 1. off. ferendum.

Et 7. Phi- Verum non satis est ad boni Regis laudem, severi-
lip. tate legum coercere, & vi armorum populum prote-
Tacit. 4. gere; ni ipse, cum sua familia, integritate vitæ omnibus
hist. præluceat, eoque exemplo populum ad amorem virtu-
 tis & fugam vitiorum invitet. Cum igitur mi filii, o-

Vita Regis mnes naturâ imitentur Regem, cave ne olim dicaris, a-
est pro ex- liud populo jusfisse, aliud sequutus, ut facta cum dictis
emplo. non convenient. Sed contra sit vita tua subditis instar
Plat. in perpetui edicti; & speculi, in quo legum usum observent;
Polit. Et 4 & ex ea imagine vivendi exemplum capiant.
de leg.

Et hujus vitæ tuæ exemplum è duabus partibus
 compono; prior est aulæ & comitum tuorum discipli-
Plato in na secundum pietatem & probitatem: Altera, tui ipsius,
Theat. Et juxta eas virtutes, quibus cæteros dirigas, & emendes.
Euth. Nec enim sufficiet ingentes virtutes mentis ergastulo
Arist. 1. captivas concludere, nisi eorum bono, quos Deus tuo
Eth. credi-

credidit Imp. eas in lucem proferas & exerceas. Vir- Cic. in off.
tutis enim omnis laus in actione consistit.

De aula vero & aulicis regendis Rex David longe De Aula
optima, & prudente Christianoq; Principe dignissima Psal. 101.
tradit præcepta. Nam ut in subditis ingentem, ita in auli-
cis regendis geminam, oportet curam adhibere, Oeco- Cic. ad
nomicam nempe & Politicam. Nemo fere est ex omni- Qu. fr.
bus, qui non aulicum bene, maleve agentem libenter
sequatur. Nec ullum ejus est, si connives, tam enorme
flagitium, quod non aliis idem facientibus sit instar ju-
stæ excusationis. Itaque circa familiam duo omnino
præcipio, nempe ut prudenter eligas, & prudenter re-
gas, quos elegeris. Sunt qui ad vitam aulicam à natura Plato 5. de
prorsus sunt inepti. Quanquam enim educatio altera sit leg.
natura, eaque cum conversatione conjuncta ad mores Arist. 2.
emendandos multum possit, ut tamen in veteri est pro- Oecon.
verbio:

Naturam expellas furca licet, usq; recurret. Ovid. 5.

Summa ergo in fervorum tuorum & comitum delectu trist.
cautio adhibenda est: Nam,

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes:

& idonea satis est causa non admittendi, quæ dimittendi
minus idonea est.

Qui aulam sequuntur, aut immaturæ sunt ætatis; ut De Mini-
nobilium virorum hæredes, educationis gratia; & asse- strorū de-
clæ ob ministerium: aut adultæ, qui iis funguntur offi- lectu.
ciis, quæ prudentiam & judicium exigunt. Priores Arist. 1. &
illos, si antequam plene adoleverint, & ex honestissimis 5. Pol.
probissimisque familiis, & in fide parentum [ut fit in ba-
ptismo] elegeris, tuo officio recte defunctus videbere.
Licet enim anima non sit ex traduce, sed à Deo creata Cic. ad
& infusa, certum est tamen, virtutem & vitium una cum Qu. fr.

*Testis familia**Gaureana. Plat. 6.**de leg. Arist. 2. Oecon. & 1.**Polit.**Plat. 6. de leg. Isoc. in Pan. Arist. 5. Polit. Demosth. 2. Phil. Plato 7. de Rep. & in 3. de leg. Arist. 5. & 6. Polit. Ps. 101. Benevolentia ad haeredes transmittenda.*

patrimonio saepe numero devolvi ad posteros; nec minus animi quam corporis morbos in quibusdam familiis haereditarios invenire. Igitur ephebos istos ex iis familiis eligere convenit, quae, probitate & fide praeter caeteras insignes, nulla unquam perfidia l. prodicione notatae sunt. Priusquam illos maturae aetatis ministros elegeris, vide ut illaefae sint & intaminatae famae: Alioqui populo nihil aliud sentiendum relinquis, quam electos esse, quos tuo maxime convenire ingenio perspexeris, & vitiorum amore caeteris omnibus praetuleris. Populus enim qui te intus nec novit nec discernit, sola hac comitatus tui & conversationis externa specie ducitur, quae sola plebejis sensibus obvia est. Tum vide ut eiusmodi praediti sint virtutibus, quae suis muneribus obeundis sunt necessariae. Erit enim hoc iudicii tui specimen non vulgare, si unicuique eam demandes provinciam, ad quam regendam est aptissimus. Ad summam, in servorum delectu sequere Davidis consilium, & ad comitatum tuum optimos quosque & fidissimos oculis designes. Atque hic committere non possum, quin te moneam, vel pro patria potestate etiam injungam, eos praecipue in familiam tuam adsciscas, qui mihi fidelem operam navaverunt. Sin ex eo numero quosdam emeritos inveneris praemiis ornatos dimitte: exque eorum sobole, ut notissima, ministros lege. Ita non modo tibi de praestantissimis servis prospicies; cum necesse sit te ament, qui parentes tuos amarunt, si verum est, quod modo ostendimus, te illis acceptum nunquam fore, qui parentes tuos oderunt; Sed etiam ostendes gratae esse, apud te memoriae patrem tuum. Et veteres ministri, cum paternum in te animum senserint, benedicent tibi. Sin diuturni servitii merita neglexeris, eorum preces vertent

vertent in vota pro me, in diras adversus te. Memortuo his utere, ut sint testes tui erga me amoris: Et quorum ego fidem sensi maximam, hi apud te gratiam inquant potissimam. Neque tamen eos fidissimos indicabis, quibus ego plurimum dedi (nam in præmiis dominatur fortuna, cujus etiam ea dicuntur bona) sed quibus plurimum credidi; ut cui sæpius occasio defuerit multis gratificandi, quam voluntas. Nec tantum volo constanter ames qui me amarunt, sed quos ego odi, eodem gradu & constantia etiam oderis: Neque unquam meos exules revoces, aut restituas proscriptos. Alias & mei contemptum prodes, & tuam ipsius levitatem. Quo enim pacto constabit eorum fides in filium, quorum perfidia nimis nota fuit in parentem?

Sed ut ad institutum nostrum revertamur: Si ita, ut præcepi, servos elegeris, facile ea vitabis incommoda, in quæ pupillaris mea ætas incidit. Tunc enim, qui omnia poterant, pro arbitratu quoque suo familiam meam supplebant; adlectis non quos nostris ministeriis credebant idoneos, sed quod rebus suis maxime opportunos sperabant: Id quod in prima illa adversus me concitata rebellionem manifesto apparuit, unde & familiæ meæ ingentem mutationem facere coactus sum. Nihilominus *Exemplū domesticū.* mali exempli re diu postea ab iis vexatus sum, qui servos mihi tradere studebant, suo sane magis quam domini bono. Meum igitur sequutus exemplum, famulos adscisce, non aliis, sed tibi oportunos. Et quum communis omnium parens esse debeas, ex omnibus Regni plagis promiscue adscisce, delectu facto non secundum aliena arbitria, sed fervientium ingenia. *Arist. 2. Polit.* Nam cum ad omnes tuum pertineat Imperium, æquum est ex omnibus tua eligi servitia.

Sed

De Mune- Sed summa est in eorum delectu cautio, quæ in pu-
ribus pu- blica regni negotia crediturus es. In cæteris tuum, in
blicis. his verò evahendis populi bonum spectandum est; Cu-
Plato de jus ratio Deo olim exactissima reddenda est. Ejusmo-
Rep. di igitur officia hominibus notæ prudentiæ, probitatis
Cic. ad Qu. & pudoris credideris earum rerum, quas tractaturi sunt,
fr. imprimis peritis, & ab omni factione partiumq; studio
Isoc. in Pan alienis; Sed ante omnia adulatione vacuis, teterrima il-
ad Nicoc. la Regum & Rerump. peste. Nam si æquum erat in
de pace. 6. prima hujus operis parte monere, ut ab intimo illo adu-
Thuc. Plut. in Pol. latore, quem in sinu circumfers, omni ope caveres, scili-
Plat. in cet *Φιλαντία*; quanto magis ab externis illis, nec ullo
Phæd. & sanguinis vinculo tibi junctis, ut tibi tute es, metuen-
Men. Arist dum fuerit, qui ideo putidissimam exponunt mercem,
5. Polit. ut ex tuo exitio viam sibi muniant ad opes? Sic te Deus
Isocrates amet, si neminem magno in Rep. loco, nisi virtutis cau-
in Sym. sa dignabere. Ante omnia rei pecuniariæ probos vi-
Tacit. 3. ros & industrios præficies, & qui solvendo sint; at con-
hist. ditione mediocres, ut, absq; ullo seditionis periculo, ac-
Curt. 8. cepti & expensi rationem exigas, quantumlibet severam.
de quæsto- Ex hoc errore præcipue evenit, ut parum mihi feliciter
ribus pu hæctenus cesserit negotium argentarium. Sed nihil ti-
blicis. bi magis cavendum est, quam ne peregrino homini pu-
Arcanum blicum munus committas; quæ res seditionem in po-
Imperii pulo haud dubie ciebit, & publicam adversus te illumq;
Arist. 5. invidiam armabit. Sed (ut ante monui) quam regno-
Polit. rum tuorum, Deo favente, hæreditatem cernes, ex in-
Cic. ad digenis ipsis curiam statues in singulis. Et ut meo con-
Qu. fr. filio, de servorum tuorum delectu, tandem finem fa-
Plat. in 1. ciam, volupe sit iu famulatio tuo nobilissimos quos-
Al. in Pol. que habere: Præterquam enim quod ex eorum ministe-
& 5. de leg. rio parum invidiæ, benevolentiae plurimum oriatur,
Arist. 2. con-
Oecon.

contra quam evenit in hominibus novis; videbis plerumque nobilitati generis comitem datam esse virtutem; quod & ante monui.

Ut autem prudenter regas, quos prudenter elegeris, (quæ monitionis meæ altera pars erat) aulam & comitatum tuum populo statuere oportet pietatis & probitatis exemplar. Itaque tuorum moribus assidue invigila, ut legum præscripto ad unguem respondeant. Quo pacto enim legibus parebitur foris, si negliguntur domi? Adeoque familiarium tuorum, quam reliquorum delicta graviore poena cohibebis. Verum, quod præter cætera tibi injunctum volo, cave, ne quis apud te gratia sua abutatur ad subditorum aliquem vexandum, aut opprimendum. Prout mores sunt, aut merita cujusque ita te illi austerum exhibe vel familiarem. Hominem rixosum, tui comitatus pestem puta. Intimæ admissionis ministros & præsertim à cubiculis elige mansuetissimos & fidesimos. Nemo eorum alienis se immisceat negotiis, sed quod de Turcici Imp. Janizaris circumfertur, patrem alium non norint nisi te, negotia non noverint nisi tua. Quod si quis ab amicorum suorum litibus abstinere noluerit, eum tibi censeo dimittendum. Regi enim, qui ipse nullius est tribus, nullius agnationis, sed omnibus aut soli virtuti æquus, in comitatu suo ministros habere factiosos & partibus addictos, non convenit. Ne alium illi sapiant, sed tibi morem gerant, & ut eorum nemo nisi meruit retinendus est; ita nemo nisi commereuit mutandus. Eorum operam ut & cæterorum præmio aut poena compensa, in quo politicæ administrationis basis est. Pro modo peritiæ in rebus agendis singulorum utere industria; Sed omnia uni mandare non convenit, ne superbiat, &

E

cætero-

*Aule ad-
ministra-
tio.**Isocr. in
Areop.**Idem in
Paneg.**Aristot. 2.
Polit.**Tacit. 1.
Hist.**Val. lib. 2.
Curt. 4.**Demosth.
8. Phil.**Sal. in Cat.
Liv. 22.**Tacit. eod.
in 1. An-
nal.**Regnandi
basis.**Aristot. 5.
Polit.**Tacit. in
Ag.*

Dion. lib. 52. cæterorum invidia subiaceat. Candidos illos & ingenuos magis ama quiq; veritatem cognationibus suis anteferant. Maledicos ne patere vel eorum etiam, quos oderunt calumniatores. Et omnes, qui tui servitii nexu conjuncti sunt, fraterni amoris vinculo connecte. In summa, apud te foveatur concordia, alatur modestia, perditus luxus exulet, exulet livor, dejiciatur superbia: Isq; modus & decorum in singulis ministerii partibus obtineat, ut exteri aulam tuam visuri cum Regina Shebæ, prudentiam tuam, gloriam domus tuæ, & ordinem servorum tuorum admirentur.

Xen. in Ages. Isoc. in Sym. & ad Ph. Idem de perm. Cic. ad Qu. fr. 1. Reg. 10. De Conjugio. Gen. 2. 23. Sed præcipuum consortii bonum ex pia & pudica uxore tibi sperandum est: Ea enim quocunq;ve alio tibi propior est; Caro de tua carne, & os de tuis osibus, quod de Eva sua dixit Adamus. Et quoniam fortasse funus nostrum prius duces, quam uxorem, breviter meum tibi consilium super hac re exponam. Primam igitur considera, in hac vita nihil esse melius conjugio si Deus fortunet; nihil pejus, si ille adversetur. Quum igitur absq; Deo nullus sit conjugii successus, tibi enixe danda opera est, ut in ejus meditatione, electione, usu Deum facias propitium. Meditari ita oportet conjugium, ut futuræ uxori, cui soli debetur, castum custodias & incorruptum corpus. Nam quo jure ipse incestus castam postules virginem? Aut cur in uno conjugii dimidio requiritur puritas, si in altero toleratur pollutio? Licet enim probe sciam, quam leve sit hominibus & veniæ proximum hoc stupri delictum; tu tamen, quid de conscientia supra à me dictum fuerit, in memoriam revoca: Non esse juxta popularis opinionis vanitatem æstimanda delicta nostra, sed juxta Dei & Legislatoris judicis prudentiam. Audi ex ore Pauli Apostoli divinum interdictum,

*meditatio
Conjugii.*

dictum: *Abstine à fornicatione. Mæchus enim (inquit,) 1. Cor. 6. 10. regnum cælorum non possidebit.* Audi ex ore Johannis fornicationem ad numeratam flagitiis, quæ reos è spiritali & cœlesti Hierusalem ad Canes & porcos relegat. *Revel. 22. 15.* Cogita quæso, si quis semel ausit id leve judicare, quod Deo grave est; & veniæ affine, quod proximum est pœnæ; atque ita unum genus peccati non conscientia, sed *Incommo- suo affectu metiatur; quid impediet, obsecro, quo mi- da ex no- nus in altero, ad quod eum aliqua animi perturbatio stris affe- impulerit, idem faciat, cum eadem sit cæterorum ratio? Etibus.* Atque ita pergat, donec omnium Regulam, excluso Deo, suam faciat cupiditatem? Tum verò, quid de eo aliud fiet, quam ut pravis affectibus, quibus se dediderit, intereat? Sed quoniam ita cum omnibus comparatum est, ut plus cognatis percellamur exemplis, vide quam *Exemplis diversum conjugis nostris Deus successum dederit, meo, domesti- inquam, & avi mei: Ille incontinentiæ suæ, quam ego cum. pravæ educationi tribuo, gravem pœnam perpeffus, duos speciosissimos simul amisit filios; relicta filiola hærede, cui benedicere ante obitum illi non licuit, nec videre quidem. Ita ille decessit, patria gemino malo multata; prole recens nata, quæ regnaret; eaque sequioris sexus. Quam mihi Deus fuerit propitius, & continentia dono concessio, & bonis quæ continentiam sequuntur; Tu ipse & alii, ejusdem tecum sanguinis, testes sunt satis locupletes. Quam felicitatem & mihi & posteris, eadem numinis annuente Clementia, spero fore propriam. Ne erubescas igitur, ut ut in contrarium rapiant vanæ illecebræ, corpus tuum, Spiritus Sancti templum, purum & incorruptum servare; non incertis *1. Cor. 6. 19.* hominum opinionibus, sed sua ex indole vitia & virtutes discernens,*

In delectu Conjugis tres causas respice, ob quas ab initio conjugium institutum fuit; Quibus tria accidentia adjunges, & ea non negligenda, modo prioribus illis nihil derogetur. Tribus enim de causis institutum fuit à Deo conjugium, libidinis sistendæ, & Sobolis procreandæ & mutui adjutorii gratia. Noli itaque differre conjugium in senectam, cujus finis est coërcere libidinem juventæ. Regi vero maturius uxor ducenda est propter bonum publicum. At tu noli comittere, ut ullius rei gratia foeminam ducas creandis liberis vel ætate, vel natura, vel casu inhabilem: Gemino enim peccato & tibi & populo noceres. Morosam etiam vel male educatam fuge. Nam foemina adjumento esse debet marito, non impedimento.

*Tribus de
causis in-
stitutum
Conjugiū.
Arist. 7.
Pol.
In eod.*

Tria accidentia, quorum etiam est habenda ratio, sed ita, ut præcipuis causis nihil derogent, sunt forma, opes, amicitia, omnia bona & à Deo. Nam forma uxoris non patitur amorem mariti decrescere, aut alio vagari: Opibus & amicitia instructior fiet uxor, ut maritum juvet. Quod si hæc tria, tribus illis primis & præcipuis neglectis, sectatus fueris [quod nimis sæpe fieri amat] tum vero ut licitus eorum usus cedit in bonum, ita abusus iste in magnum vertet malum. Cui enim bono sunt ista humana; Cum furiam habes, individuum thori Comittem, tuo semper lateri affixam. Tum vero senties venustatem sine veritate, opulentiam sine prudentia, amicitiam sine gratiâ splendas esse miseras; & [ut verbo dicam] ingenium calamitatem larvas.

Matth. 13. Tu, mi fili, trium causarum rationem habe, propter quas conjugium institutum fuit: Et cætera omnia adi-

adjicientur vobis. Ideoque nihil mallet, quâ foemi- *Precipue*
 nam sibi sociari ut loco & dignitate parem, ita religio- *in conju-*
 ne etiam non disparem. Licet enim [quod doleo] *gio cau-*
 pauci sint Principes opibus florentes, qui idem nobis- *tio.*
 cum in religione sentiant, adeoque durius paulo &
 difficilius hoc consilium videri possit, cogita tamen,
 mi fili, atque apud animum tuum disquire, quo pa-
 cto cum uxore tua unam in carnem coalescere & con-
 cordem vitam transigere possit, quæ alterius & con-
 trariæ Ecclesiæ membrum est; Dissidio in sacris dissi-
 idium in moribus necessario creante. Quid quod il-
 lus concionatores dissidentes à tuis turbas in populo
 parient, animis hominum, tuæ familiæ exemplo, in
 partes & factiones distractis; Nec tu pravæ educati-
 onis periculum facile à liberis avertes. Quod si rem
 facilem arbitrare foeminam ad arbitrium tuum for-
 mare, & fingere; Cogita Regum sapientissimum Salo-
 monem, eadem in re frustra fuisse. Rarior enim pau-
 lo est perseverantiæ herba, nec ubique germinat.

Succurrat tibi, è gravissimis hujus vitæ negotiis
 esse matrimonium; Maximamque esse in prima uxore
 cautionem, quæ si infra sortem tuam fuerit, vix est,
 ut unquam eam labem redimas: Denique quod de
 servis præcepi, idem in uxoris delectu observandum
 est; Ut ex integra sit puraque domo, & ab hæreditariis *De incor-*
 animi corporisque morbis libera. Si etenim de ca- *rupta u-*
 num equorumque genere non sumus incurii, quanto *xoris ori-*
 major esse debet de nostra sobole sollicitudo? Hæc *gine.*
 si in conjugio legendo servaveris, & tuæ conscientiæ, *Plat. 3. de*
 & posterorum tuorum dignitati & bono quam rectissi- *Rep. Cic. 2.*
 me consules. *de div. A-*
rist. de
gen. anim.

Uxore jam ducta; votum in nuptiis factum Deo *Luc. 4.*

sancte

*Plat. II. de
Legib.
Isocr. in
Sym.*

*Cic. 2. de
Leg.*

sancte exolve, una nimirum re facienda, altera fugienda. Nam ea in rebus omnibus uti uxor tractanda est, & dimidium tui: Tui vero corporis usura [quod jam tuum non est sed illius] alteri communicanda non est. Confido nihil esse necesse adulterii flagitium tibi dissvadere. Veniat modò in mentem, quid in conjugio Deo promiseris; cujus promissi gratiã cum tui tibi succedant liberi, quod aliàs illis non liceret, ratio sanè efflagitat, ut tu pro virili parte quàm sanctissimè custodias. Est Deus perjurii severissimus vindex: Neque verò jocularè illud jusjurandum censerè oportet, quo liberis nostris amplissima regna cedunt in patrimonium. Pone tibi ante oculos Regis avi mei exemplum, qui filia suæ unicæ & hæredi creavit exitium, genito filio notho, cujus rebellione & soror & Regina everfa est. Quantæ verò calamitates in posteros ejus ex infami illa spuriorum sobole redundarint, Bothvelii molitiones sint argumento. Si vis igitur ut conjugio tuo Deus benedicat, quod fecisti in conjugio ineundo votum optimã fide exolve.

*Arist. 8.
Eth. & 1.
Polit. Xen.
& Arist.
in Oecon.*

Quomodo autem erga conjugem te geras, è sacris literis discendum est: Eam ut corpus ama, ut adjutricem fove, ut pupillam rege: Illa nec in re justã ferat repulsam, nec tamen alienis tractandis assuescat. Tu caputes, illa corpus; tuum est leges dare, illius accipere, sed eã imperandi svavitæ, ut promptior illa sit obsequii, quam tu imperii; aut certè non minus ad sequendum proclivis, quam tu ad præeundum. Ita illi uni tuum amorem oportet esse devotum, & omnes illius affectus tuæ voluntati obnoxios.

*Arist. 1.
Rhet.
Plut.*

Ad summam tria cum uxore observa: in primis ne quam Reip. partem attingat, sed regendæ familiæ tota in-

ta intenta, nihil etiam ibi faciat absque tuo consilio: deinde, ne cum ea conversari patiaris, nisi honestissimos & castissimos: Lubricior enim est hic sexus. Denique, ne quando simul ambo commoveamini; sed ea irascente tu bilem reprime, quia, sedata ista mentis perturbatione, tu de illius errore rectius judicabis; & illa, cum ad se redierit, offensam suam melius intelliget, & tuam monitionem reverentius admittet.

Si te liberis Deus beaverit, honeste & pie educato. Diligito quoque ut par est; sed amorem hunc patrium vide ne sentiant, nisi quatenus eorum indoli expedire cognoveris. Ita amore, pudore, metu eos in officio continebis. Et quando divina bonitate tria haec regna tibi obvenerint, natu maximum filiorum scribes regnorum tuorum ex asse haeredem: Reliquis privati patrimonii modus sufficiat. Si regna divideris, discordiarum & bellorum semina posteris relinques, id quod huic insulae accidit a Bruto patre tribus filiis divisae, Locrino, Albanacto, & Cambro. Sin ullam te auxerit sobole divina benignitas, proximum haeredem, quaecumque tua de illo fuerit opinio, jure suo non fraudabis. Regnorum enim collatio est penes Deum ususfructus tamen noster est: Nec magis penes Regem est, quam populum, jure suo exturbare legitimum haeredem.

Quemadmodum autem comitum tuorum est bene agendo populo praere; ita tuum est comitibus tuis praeferre facem ad virtutis viam, ut nihil prius aut antiquius habeant, quam visas in te animi insignes dotes aemulari.

De quatuor Cardinalibus virtutibus tam trita res est, ut nolim esse molestior: Unum tibi mando, ut reliquarum reginam statuas temperantiam. Neque vero eam

*in Maer:
Ægid. R.
de reg. pr.
Plat. 5. de
Rep. & 7.
de leg.*

*Liberorum
Regiorum
cura.*

*Plut. in
Thes. 4. &
5. de Rep.
6. & 7. de
leg. Arist.
7. polit.*

*Dissidiorum
inter fra-
tres.*

*præcautio
Pol. lib. 1.
Sceptrum
est extra
commer-
cia.*

*Ufus tem-
perantiae
Arist. Poa*

lit. 6. Cic. 1. off. 2. de invent. & in parad. eam intelligo, quæ vulgari notione diebus sensibus, tactus & gustus, leges præscribit: sed illam, quæ tibi det jura, & Reginae instar, omnes affectus subjiciat rationi, & singulas vitæ partes condiat salubri mediocritate. Itaque non modo affectus tuos, sed & ipsos virtutum actus moderationi submitte. Licet enim prima & desideratissima Christiani hominis virtus sit pietas; ut quæ ex timore & notitiâ Dei oriatur: Meministi tamen, opinor, quo pacto, sub libri primi finem, omnibus externis actibus à pietate profectis moderationem censuerim, adhibendam. Quod ipsum de Justitiâ confirmo, earum virtutum, quæ Regis propriæ sunt, omnium maxima.

Plat. 4. de leg. Arist. 1. mag. Mor. Cic. 1. off. & pro Rab. & ad Quint. fr. Sen. de Clem. Arist. 5. Eth. 1. Rhet. Cie. pro Cecina Utere justitia, sed eâ cum moderatione, ne tyrannidi affinis sit, nam summum jus summa injuria. Ut si quis notæ probitatis solus inciderit in multos latrones, perditæ vitæ notæque infamiæ homines; eorumque, aliquem cum moderamine inculpatae tutelæ occiderit; ideo ne tamen, quia illis aqua & igne interdictum non erat, neque ex ullo oculato teste constare potest de impressione & vi, vir probus è vestigio cervicem subjiciet securi? Præterea legibus nostris sub gravi mulcta interdici potest alicui, ne vicinum divexet, ne fines ejus agrosque ingrediatur; quid si ejus equus, rupto quo tenebatur capistro, pratum vicini ingrediatur, gramen, conculcet & depascat, continuone mille aureos equinæ ferociæ aut debilioris capistri poenam solvet Dominus? Minimè verò. Leges enim civilis societatis regulæ sunt, non innocentiae laquei. Unde & earum interpretatio non tam ex verborum cortice, quam ex legislatoris mente petenda est. Nam ratio est anima legis.

Quod de Justitiâ dixi idem de clementiâ, magnanimitate,

nimitate, liberalitate, constantia, humilitate & cæteris virtutibus Regiis dicendum est. Nam in medio stat virtus. Satanæ tamen astu factum est, ut vitia, quæ extrema virtutem circumstant, sæpe virtutis nomine honestentur; quum nihil habeant virtuti simile; Imo verò, contraria vitia jam posita in summo, inter se coincidunt. Nam in infinitis omnia concurrunt.

Quid enim differt summa illa Tyrannis, cui humani generis interitus oblectamento est, ab extrema levitate, per quam licet unicuique quod libet? Quid differt summa prodigèntia, quæ omnibus absumptis nihil possidet, à summâ avaritia, quæ, omnibus reconditis nihil fruitur, haud absimilis asino, qui frumento onustus inedia absumitur & carduo vesci contentus est? Quid inter est gloriosi Nebuchadnezaris superbia præposteræ Puritanorum humilitati, qui dum paritatem suam afferunt, & testantur in publico, omnes homines esse vermes; Regibus tamen leges dare volunt; At à nemine accipere, à nemine redargui. Certè plus est sub nigro hujus pileo superbiæ, quam sub Alexandri M. diademate, ut de Diogene in simili casu dictum fuit.

Verùm supra omnes virtutes tua tibi ars discenda est, ut regnes. Quod cum præcipio, omnium artium notitiam tibi commendo. Quo pacto enim omnes corrigas & redarguas (quod tui est officii) nisi omnes noveris? Itaque præter cæteram educationem, lectione & rerum bonarum vestigatione necesse est te oblectes; Sed duplici hac cautione: Nempe, ut succisivis id facias horis, & quibus datum est à muneris tui functione feriari. Deinde vero, ut finem tibi proponas, non otiosam scientiam; sed actuosam imperandi prudentiam, & ut illam studio quæsitam notitiam omnibus of-

F

ficii

*Extrema
vitia non
sunt id
quod vi-
dentur :
sed coinci-
dunt.*

*Ars regia
imprimis
colenda
Plat. 5. de
Rep. & ep.*

*Cic. ad
Qu. fr. &
de Or.*

*Cic. 1. de
fin.*

Idem 1. off. ficii tui partibus exprimas: Astrologis planè dissimilis, qui interdium noctuq; siderum motibus se fatigant, ideo tantum, ne ignorent. Sed quum omnes scientiæ quodam quasi communi vinculo & cognatione conjunctæ sint, coeuntibus nempe in unum omnium principiis, unde etiam factum est ut novem Musæ Poetis dicantur sorores; omnibus volo des operam, ut ex earum harmoniâ cæterarum rerum, facultatumque haurias notitiam, ut omnes contineas in officio, & omnes ad finem optimum Architectonico dirigas consilio. Leve enim est scientiæ onus, nec humeros ferentis degravat.

*Scriptura
Deut. 17.*

Primam igitur & præcipuam sacris literis da operam (ut primo in libro monui) non tantum tuæ salutis gratiâ, sed ut custos utriusque tabulæ Ecclesiam intra sui officii metas coerceas. Non minima hæc est officii tui pars, eos in officio rectè continere. Itaq; in concionibus vide, ne à contextu suo vagentur: & si pax publica tibi cara est, cave, ne ex eo loco Rempublicam attingant. Quin cæteris in exemplum statue, qui primus eo genere ausit delinquere. Nihil absque ratione advertus eos feceris, parcius tamen cum iis disceptaveris. Nam meæ facilitatis illis obortum est fastidium & nausea; Nec profectò eorum consuetudo est, cedere. Conventus autem celebrare aut alicubi congregari, tuo injussu haud quaquam illis liceat.

*Leges principales
Plat. 4. de
Rep. 6. de
Legib.*

*Aristot. 1.
Rhet. Cic. 1*

Secundam operam dabis patriis legibus. Nam quomodo juxta illas dices sententiam, si tibi fuerint ignotæ? In iis, uti in judiciario ordine & processu, stude quantum potes brevitati & perspicuitati. Quorsum enim prolixitas, nisi ut omnia incerta fiant obscuraque, & advocati cæteri que id genus ex populi spoliis ditentur, cum è contrario brevissima via hic tatisima sit & certissima? Volupe sit in forum venire, ut judiciorum ordinem

ordinem inspicias; & si quos largitionibus corruptos offendas, severissimo (nimio enim non potes) supplicio vindices. Dabis quoque gratiæ quorundam præsentiam tuam, ut per te celeriores videant litis exitum: quanquam hoc maxime pauperibus dandum est, quibus nec vacat morari, nec, si vacaret, inter tot locupletes litigatores locus datur agendi. Cum autem ibi fueris, memineris Dei thronum esse cui insides, ne gratiâ vel aliâ de causâ deflectas à vero. Non ibi locus est (ut antea monui) aut amicis gratificandi, aut inimicis adversandi; sed juris reddendi, justitiæ colendæ. Disce etiam, quomodo differat æquitas à justitia: nec, miseratione pauperis, diviti, quia minus eget, extorquebis suum; sed minori homini, ad quem pertinebat, majorem adjudicabis tunicam, contra quam Cyrus junior fecit. Justitia enim juxta leges suum cuique tribuit: æquitas vero, quod accipienti, maximè convenit, quum danti res arbitraria est.

At secretiori Consilio crebro, & tanquam unus ex assessoribus intersis. Publicis enim negotiis hic confusus institutus est, & ad frænandam potentiorum impotentiam & vim. Morem hujus judicii fac simplicem, quantum potes, & brevem. Apage hinc advocatos, cum suis ampliationibus & dilationibus; Pro se quisque causam dicat: nec te pigeat oppressorum civium querelas audire, aut pigeat sanè Regem esse. Lites alienas suis remitte judiciis, ut vitetur confusio. At tuum erit à singulis severam exigere officii obiti rationem.

Post leges tibi res gestas populorum & annales commendo; in primis autem tuæ gentis historiam, cujus exempla te propius tangunt, ne domi peregrinus videare. historiam, inquam, non illos Buchanani & Cnoxi libellos famosos, quos qui in tua usq; tempora asservârunt, sentiat

de Ora. Senec. in Lud. Præsentia Principis in foro.

Plat. in polit. Arist. i. Rhet. Cic. ad Q. fr. Plut. in Is.

Xenoph. i. Cyr. Præsentia Regis in secretiore.

Concilio,

Cic. ad Q. fr. Tacit. i. hist. Plut. in Dem.

Lectio historiarum.

Plat. in Min. ille mearum legū pœnas. Etenim unâ hac in re non dissva-
 deo quin Pythagoreus fias, & seditiosas horum scripto-
Aristot. 1. Rhet. 1. Polit. rum animas in illos credas transire, qui horum libros
 recondunt, vel opiniones defendunt. At authentica-
Plut. in Tim. Cic. 2. de Or. rum historiarum lectione sine tuo periculo experien-
 tiam colliges, præterita nimirum conferens cum præ-
Ecclesi. 1. zech. 11. sentibus, cum nihil sit sub sole novum. Ita Sphærarum
 coelestium exemplo, quæ semper eadem volvuntur &
 revolvuntur, in orbem feruntur omnia humana, quæ
 volubilitas per rotas in visione Ezechielis exprimitur,
 & à Poëtis in *fortune rotâ* abumbratur. Hic quoque
 non exiguus est historicæ notitiæ fructus, ut cum exte-
 rorum Principum Legatis, prout te dignum est, verferis;
 de quæ aliarum gentium statu & politiâ non incommo-
 dè loquaris. At inter prophanas historias pati non pos-
 sum, quin tibi Commentarios Cæsaris optimâ de notâ
 commendem, & propter orationis suavitatē & materiæ
 dignitatem. Semper enim in eâ mente fui, neminem
 Ethnicorum Principum aut belli ducum rei militaris pe-
De artib. liberalib. Sen. Epist. 84. Liv. 1. 24. Plut. in Marc. De Mathe si. Plato 7. de legib. Aristot. 2. Met. Jac. 2. 17. ritiâ cum Julio Cæsare posse comparari.
 Liberalium artium studiis imbutum te volo quan-
 tum satis est Regi, non excultum quantum exigitur à
 Professore. Accuratori enim minutiarum tractatione
 à muneris tui functione avocaberis; & hoste urbem
 diripiente fortè cum Archimede deprehensus in pulvere
 in glorium populo tuo exhibebis spectaculum.
 Non diffiteor præter cætera tibi degustandam esse
 mathesin, & ut castra munias & aciem instruas, & pro-
 pugnacula excites, & tormenta dirigas, & universum rei
 militaris aliquam notitiam haurias: Sed quod Jacobus
 de fide dixit, cave ne mortua & sterilis sit hæc cognitio;
 sed in quotidianâ vitâ fructus ferat uberrimos.
 Magnanimitatem cole, non vindictæ cupidine,
 quo

quo pacto eam publicus error definire solet; sed tui ipsius coercitione: tanquam irâ indignum judicares, qui in te peccavit, ut tuis imperes affectibus, & dum iram tuam rationi subjicis, triumphes; sapienter dispensans fortitudinis tuæ & animi impetum, ut domi quidem serviat eorum civium, qui a fortioribus opprimuntur, calamitatibus vindicandis; foris autem injuriis hostilibus justo bello reprimendis. Atque ita ubi insignita occurret injuria, permitte laxas iracundiæ tuæ habenas. Regis enim ira est similis Leonis rugitui.

Vera & superbiæ expers humilitas tibi cordi sit, non modò apud Deum; siquidem infimum de plebe materiâ non superas, sed usu, & id quidem merâ Dei ordinatione, verum etiam apud parentes. Et si forte mater tua mihi supererit, sic paternæ benedictionis compos sis, si illam ut par est honores. Beershebam in solio à dextris tibi collocato; cave, ne ullâ offensâ eam violes, nedum injuriâ: sed memineris eam esse, unde carnem tuam & sanguinem sumpsisti.

cui longa decem tulerunt fastidia menses:
Noli æmulari juvenes nostros Barones & Comarchos, qui defunctis patribus primam adversus matres actionem intentant: sed tu matris tuæ benedictionem omni ope studebis mereri. Nec te ipse communi multorum errore decipias, quasi parentum imprecationes, ni meraris, susque deque habendæ essent. Ah, parce naturæ ordinem invertere, nec de majore potestate, tuâ præsertim in causâ, sententiam feras. & persuasum id habeas, precibus hisce parentum, bonis malisue, pænè vaticiniû certitudinem esse conjunctam. Et ut nihil aliud expectandum foret, vel ideo parentes honora, ut longævus sis: quod Deus in lege promisit. Eos quoque

De Magnanimi-
tate.Arist. 4.
Eth. Sen.
de clem.Cic. 1. Off.
Virg. 6.
Æn.

Prover. 20

De Humi-
litate.Plat. 4. de
legi.Xen. 2.
de dict. &
fact. Soc.

Exod. 20.

Xenop. 1. & 3. Cyr. honora, qui tibi sunt loco parentum, rectores tuos, nutritios, præceptores: quibus si debitam retuleris gratiam & præmia, nihil ab officio vel æstimatione feceris alienum.

Cic. ad Qu. fr.

Arist. 5. Polit.

Matth. 18.

De constantia.

Arist. 4. Eth. Thuc.

3. 6. Cicer. 1. offic.

ad Qu. fr. Brut.

ad Cic. De liberalitate.

Cic. 1. & 2. off. Sal. in Jug. Sen. 4. de ben.

Isoe epist. 5

Nec tamen hæc ipsa, quam svadeo, humilitas impedimento esse debet, quò minùs in publicos illos oppressores, si quando se ausint coràm sistere, excandescentiam tuam exeras: tunc enim legitimum est indignandi tempus. Quòd si juris specie vim debilioribus illatam defenderint [ut nimis multi faciunt] quod legibus emendare non potes, id gratiæ tuæ & favoris subtractione emenda: & tandem aliquando, quùm tuâ opus habent, vicissim preme & afflige; ut, juxta Christi de duobus debitoribus parabolam, quod aliis fecerunt, ipsi sentiant.

In benevolentia erga probos constantem te volo, & in rebus adversis fortem & invictum; non Stoicâ illâ *ἀναδεία*, qua multi, dum pravâ veteris illius sectæ imitatione hoc seculo venantur honorem, vitæ & morum levitate professionem suam traducunt. Nolo interea te stipitem, ut non sentias mala; nec tenellum nimis ne nimio sensu victa ratio optimam remedii viam in adversis non inveniat.

Vera utere liberalitate, bonis beneficus, quin & honoris tui causâ munificus; eâ tamen ratione & modo, ut cuique secundum dignitatem benefiat, ordinis, meriti, & necessitatis non neglecta mensura. Sed vide, ne ipse egeas, dum nimium profundis. Præsertim, verò statos regni proventus, unde & tua & successorum tuorum regia dignitas alenda est, cave ne ullâ liberalitate minuas, nedum ut fontem hunc liberalitatis exhaurias: id enim sacrosanctum est & extra commercium. Cum tuo etenim & successorum damno
aliis

aliis benefacere, non liberalitatis est, sed profusionis. Ante omnia cave ne populum, ut ditescas, tributis graves; sed populi opulentiam tuas opes censeas. At ex delinquentium peccatis, quæ nullâ cautione averti possunt, nihil vetat, quin tuum facias quæstum. Quod si ad bellorum aliarumve necessitatum subsidia populo oporteat tributa imperare, id tamen fac quàm potes rarissimè; & fidus populi depositarius pecuniam exactam in præstitutos usus impende.

Xen. 8.
Cyr. Phil.
Com. 10.

Arist. 5.
Polit.

Præcipuè autem prudentiam adhibe, ut calumniam distinguas à vero. Primùm itaque delatoris ingenium inspicias: deinde quid ejus intersit conditio illius, quæm detulit prospera vel adversa, tum quid eâ in re sit verisimilius: denique mores & vitam illius, qui defertur. Sufurronem & garrulum, si inveneris, ejice ex ædibus. Et quæquam illud verissimum sit, nihil magnum à Principibus absque taciturnitate fieri; præstat tamen sæpenumero delationem excutere, quàm credulitatis vitio viros probos suspicionibus lædere. Nam cum tyrannorum morbus sit *suspicio*, ægræ conscientie symptoma, tu potius in alteram partem peccato, ut neminem suspectum habeas, qui nullo ejusmodi crimine unquam notatus fuit. Sin lubrica hominis fides ante id comperta est, tum verò priore monitus experientiâ tibi prospicito.

De delatoribus

Isoc. ad Ph. in Panath.

& de per. Cic. ad Q. fr. Plut. de cur.

Isoc. de pac. Cic. 3. off.

Et ut consilio meo tandem finem faciam, quo pacto erga subditos te geras; cogita Deum, infuso hominum animis omnium virtutum amore, esse virtutum omnium authorem id quod in veterum Romanorum integerrimâ vitâ apparuit. Populo igitur tuo ut loci dignitate, ita morum honestate præluce, ut bene agendi consuetudo successu temporis tibi vertat in naturam; & subditi legibus tuis auditis, & vitâ inspectâ, simul oculis atq; auribus ad virtutis amorem & vitiorum fugam alliciantur.

Cicer. 3. Tusc.

DE-

DE REGIMINE
PRINCIPIS IN
REBUS MEDIIS.

LIBER TERTIUS.

Vetus illud circumfertur & verum, Regem esse instar actoris in scena, cujus singulos gestus & motus populus undiquaque curiosis oculis observet. Quantumvis enim severus fuerit officii sui à seipso exactor, populus tamen, qui exteriora tantum videt, ex circumstantiis substantiam dijudicat, & ex specie illa exteriori, si paulò discinctior videatur aut levior, de mente & ingenio opinionem anticipat; quam etsi successu temporis res ipsa refutat, contra ac ipsi speraverant, interim tamen patitur justus; & sæpe ex præjudicatis opinionibus contemptus, & ex contemptu rebellio nascitur, & rerum confusio. Ad hæc autem, certum est, omnes illos hominum actus medios & neutros ab aliqua virtute aut vitio pendere, pro vario eorum usu & regimine. Nam inter illa non magis assignari potest medium, quam inter eorum præmia, cælum & infernum.

Da igitur operam, mi fili, ut hos medios actus gestusque ita formes & instituas, ut internis animi tui virtutibus ornandis commendandisque inserviant.

Ego hæc media in duo genera distribuo; quorum prius, consuetudo hominis in rebus necessariis, victu, somno, amictu, sermone, scriptioe, & gestu. Alterum est consuetudo ejus in rebus non necessariis; non illicitis tamen nec indecoris; ludo, exercitatione, sodalicio.

Hæ

*Cic. de leg.
Ovid. ad
Liv.*

*Quint. 4.
decl.*

*Arist. 5. Po
lit.*

*Actiones
adiapho-
ræ earum-
que mo-
menta.*

*Plat. in
Phil. 9.
de legib.*

*Neutrorū
bina gene-
ra.*

Hæ res necessariæ quanquam ea ratione non sint *Prius ge-*
 adiaphoræ; quatenus sine iis esse non possumus, vel *nus & quo*
 quatenus à medio ad extremum, dum absq; moderati- *pacto illud*
 one usurpantur, deflectunt; qualitas tamen earum, u- *neutrum*
 tendiq; ratio, virtutem redolere potest aut vitium: mul- *fit.*
 tumq; omnino in utramq; partem valent.

Ut igitur à rebus necessariis initium faciamus, ni-
 hil est ex omnibus magis publicum, aut plurium oculis,
 exterorum præsertim, obnoxium, quam Regis mores
 gestusq; in mensa. *Mores in*
 Jam obtinuerit publicè cibum capere, in te utique inde- *mensa.*
 cora esse non potest, sed potiùs ex dignitate tua: Par-
 tim, ut suspicionem eam declines, quasi hominum con-
 gressus vitares, quod Tyrannorum proprium est: Par-
 tim, ne ideò credaris privatim cibum sumere, ut priva-
 tim gulæ indulgeas, cujus puderet in publico. Sit ap-
 paratus mensæ splendidus: At tu paucis ferculis satisfa-
 cias fami, junioris Cyri exemplo; quod & salubrius *Xen. i. Cyr*
 est, & à cnpediæ vitio remotius, quæ ipsa quoq; est gulæ
 species. Cibis autem vesceris, non lautis illis & exquisitis,
 sed communibus; tum ut in omnem pacis bellive even- *Plut. in*
 tum corpus habeas firmatum ad patientiam laboris; *Apophth.*
 tum ut alacriore animo te tui subditi hospitem excipi-
 ant, cibis nempe parabilibus & è medio sumtis con-
 tentum; quod alias tibi verteretur fastui & lautitiæ,
 tuiq; apud tuos fastidium crearet. Simplex sit victus, *Sen. ep. 96.*
 absque illis operosis condimentis, quæ medicamentis
 quam alimentis similia sunt: Quorum usus ap. vete-
 res Romanos gulæ vitio imputabatur, quia ad gustus
 blanditiam, non ad naturæ necessitatem comparata
 sunt: Quo nomine civem suum Apicium, insignem il-
 lum Catillonem, oderunt. At nomen ipsum Philoxeni, *Sen. de con*
 qui *sol.*

qui sibi foeda cupiditate collum gruis optavit, ignomi-
 niosæ fuit apud Græcos & Romanos memoriæ. Ergo
 adversus illa nauseantis stomachi incentiva illud anti-
 quum valeat, *optimum condimentum fames*. Cibi po-
 tusq; nimietatem fuge, turpe est in quocunq; ebrietatis
 vitium, sed in Rege turpissimum; quod eam ob causam
 sollicitius vitandum est, quia est ex iis flagitiis, quorum
 voluptas crescit cum ætate. Edendi gustum nec rusti-
 cum volo & rudem, tanquam inverecundi Cynici; nec
 affectatum & concinnum, tanquam Deliculae Domi-
 næ; sed virilem, & honestum. In mensa nihil minus
 decet, quam vel negotiorum vel curarum meminisse:
 Nihil magis, quam aperta & serena frons. Tum jucun-
 diores historiæ legendæ, ut capiatur voluptas mixta uti-
 litate: Vel si id minus arrideat, sermones edendi ur-
 bani, arguti, honesti.

Studendum est ut somnus, qui è cibo oritur, mo-
 deratus sit, in quo magnam habet vim consuetudo.
 Neq; tibi illud excidat, si vitam in quatuor partes distri-
 buas, tres ex iis cibo, potui, somno, aliisq; exercitationi-
 bus non necessariis impendi.

Quamquam autem edendi & dormiendi sua sint & fla-
 ta tempora, ita tamen te ipse assuefacito, ut qualibet è
 viginti quatuor horis pro arbitrio his vaces, quò victum
 tuum negotiis, non victui negotia accommodes. Neq;
 vero voluptatem & molliem in lecto magis, quam in
 mensa sectaberis, imprimis si bella ingruant.

Tempore quietis cubiculum turbâ hominum ne
 inquietetur tam decori causâ, quam ne quid eliminetur
 foras. Fidi sint & taciturni, quos cubiculi honore di-
 gnaris. Nam sæpe usus erit Regi suorum taciturnitas.
 Cæterum in rebus maximè arcanis ita te geras, ne eru-
 bescere

*Juvenal.**Sat. 2.**Arist. 4.**Eth.**Xenoph.**de dictis**& factis**Socr.**Laert. in**Socr.**Cic. 5. Tu-**scul.**Plato 6. de**leg.**Plin. l. 14.**Cic. 1. off.**De Somno**Plat. 7. de**leg.**Victus ra-**tio optima**Plat. 6. de**legib.**Mores in**cubiculo**servandi**Val. 2.**Curt. 4.**Plat. 6. de**leg.*

bescere opus sit, si vel in foro præconis voce publica-
rentur. Præ cæteris autem prospice, ut qui tibi sunt à
cubiculis, integræ sint & illæsæ famæ.

Noli mentem advertere insomniis. Nam vatici-
nia, visa, insomniaque prophetica, omnia in Christo
consummata sunt. Itaque in somniis, aliisve in rebus,
superstitionum ineptias evita. Est enim ex inscitia na-
tus error, & Christiano homine indignus, cui persua-
sum esse debet, omnia esse pura puris [ut Paulus ait] o-
mnesque dies, & cibos Christianis esse promiscuos.

*Negligen-
da insom-
nia.*

Rom. 14.

Tit. 1.

Proximum est ut de veste loquamur, quæ post so-
mnum induitur. In hac quoque modum serva; nec lu-
xuriosus ut prodigus; nec sordidus, ut avarus; nec

De Vestitu

Isocr. de

reg.

comptus, ut meretrix; nec rusticus, ut colonus; nec
ineptus, ut Cretensis miles, aut aulæ tyro; nec severus
nimium, ut concionator. Sed aptus, mundus, hone-

stus, incurioso quidem sed non indecoro habitu, media
quadam inter Togatos & Paludatos via, inter horum le-

Cic. 1. off.

Plat. de

leg.

vitatem & illorum gravitatem: Ut vestis ipsa significet
ex utroque Regem esse compositum, Togatum, scilicet,
ob juris sanctionem & dictionem; Paludatum, ob gla-
dii potestatem: Uti etiam è civili & ecclesiastica digni-
tate dignitas Regia mixta est. Neque enim merè Lai-
cus est Rex, ut Papistæ & Anabaptistæ somniant, cui er-
rori etiam Puritani nimium sunt affines. Sed, ut ad
rem redeamus, vestimenta ad primævæ institutionis u-
sum revocanda sunt; cujus tres erant causæ, nempe ut
essent pudoris & nuditatis velamenta; deinde, corporis
ornamenta; tum verò, contra caloris & frigoris inju-
rias munimenta. Si pudori occultando; tum certe,
quod in corpore nostro pudendum est, indecorâ ve-
stium formâ non debet repræsentari. Si corpori ornan-

do; certè nimia concinnitate non debent esse invita-
 menta luxuriæ, ut Comæ adscititiæ, & impudicarum mu-
 lierum offuciæ. Si deniq; frigoris & caloris arcendis
 injuriis; certè non debent homines, tanquam lapides,
 anni tempora, spreto Dei instituto, negligere, ut de ca-
 lore & frigore videantur triumphare. Et quanquam
 in principe laude non careat, immò verò necessaria sit
 hæc algoris & æstus patientia, quum bellum sub dio ge-
 rendum est: Convenire tamen magis arbitror, ut arma-
 tus & vestitus prodeas, quàm nudus; nisi forte ut te ad
 fugam expedias; quanquam ignavis id fatis est, *metus*
Cic. 1. off. addidit alas. In summa, vestes cum ætate & anni tem-
 poribus mutato, de forma nihil sollicitus, cujus magi-
 stram sequeris consuetudinem; interdum splendidior,
 interdum communior, ut occasio fert, nullâ servatâ
 perpetuâ regulâ. Nam si circa hæc vana rerum curio-
 sus videbere, in cæteris judicabere otiosus; & inter
 comptos juvenes numerabere, non sine aliquo indolis
 tuæ & mentis contemptu: Sed nihil magis, quàm fæmi-
 neam in vestitu mollitiem vita, suffitus, odoramenta,
 & id genus alia. In bello, vestium vultusque nitore
 & magnificentia fac omnes superes. Enormi capillo-
 rum aut ungvium longitudine ne te exponas ludibrio.
 Excrementa enim hæc sunt naturæ, quibus qui ita abu-
 tuntur, produnt ingenium aut vindictæ cupidum aut le-
 ve. Circa res externas & inanes, ut cibum & vestem,
 nulla unquam voti religione obstringitor.

Arma in Neque tibi neque comitibus tuis arma vulgò per-
Aulaque. mittes, nisi quæ equestris ordinis honorem deceant, cu-
 jusmodi sunt gladii & pugiones. Tumultuosa enim
 arma in aula nihil arguunt sani in regno. Itaque non
 illa modo Sicariorum arma, quæ offensioni nata sunt,

ut tormenta aliaque id genus, ex aula proscribes; verum etiam quæ defensionem; cuiusmodi sunt thoraces occulti, manicæ hamis confertæ &c. Præterquam enim, quòd malo animo hæc talia gestari suspicio sit, neutrum præstant sui generis usum. Neque enim vim excludunt, neque hostium oculos suo fulgore præstringunt; & tantum abest ut globorum impetum repellant, ut potius augeant periculum: Nec specie sui hostem exterrent, sed secreto suo invitant, & nihil metuentem quasi fide data supplantant. Cum igitur perfidiæ causâ facta sint, non decet viros probos insignia gestare, ejus criminis, à quo longissimè volunt abesse; aut aliud præ se ferre, aliud revera esse. Adversus quæ omnia non invenio quid respondere possint, nisi fortè antiquam hanc esse Scotiæ consuetudinem; quæ si perversa sit, non magis propter antiquitatem probanda veniet, quàm Missæ nugamentum patribus nostris usurpatum.

Proxima deinde sermonis cura tibi habenda est, cui pronunciationem, & gestum loquendi, adjungo; Oratoris dotem præcipuam. Gestu enim & pronunciatione oculos auditorum alloquitur, quemadmodum aures lingvâ. Tu in utroque serva simplicem illam rationem, & à natura præscriptam, non artis lenocinio fucatam. Ut fiat illud, *rien contrefait fin*. quicquid igitur est in alterutro affectatum evita.

In sermone apertus, honestus, ingenuus, decorus, brevis, nervosus; utrumque extremorum fuge, & rustici idiomatis vilitatem, & librariæ concinnitatis affectationem, verba, inquam, nimis olentia lucernam: Sed tenera & effæminata tanquam scopulum declina. Tuæ eloquentiæ præcipua laus sit in aperta illa, ingenua, & probabili sensuum tuorum explicatione, certis

G 3 & ido-

De sermone & gestu.

Arist. 3. ad Theod.

Cic. ad Q. fr. & ad Br.

Cic. 1. off.

Idem eod.

- Cic. ad Q. Fr. & Br.* & idoneis subnixâ rationibus, admixtâ nonnunquam sententiarum gravitate, argutiisque & lepore, pro rerum aut temporum conditione: Nullis è Theologia petitis facetiis, ut inter scyphos sacras literas scurriliter profanes, quod hodie nimis sæpe fieri amat.
- Idem 1. off.* Idem tibi in gestu observandum est, ut sit vultus non miserabilis aut ærumnosus, velut pædagogi; nec mobilis atque peregrinus, velut transmarini Equitis; Sed ingenuus & gravis, ad patrium morem compositus.
- Phil. ad Alex.* In civilitatis ritibus nec nimis parcus sis, id enim rusticitati & fastui imputabitur; nec nimis profusus, crebriore capitis aut corporis demissione. Nimia enim popularitas ambitiosum aliquem Absolonem magis deceat, quam Principem. Tu rebus præsentibus tuos aptabis gestus; dum pro tribunali sedes vel Legatos audis, ad gravitatem majestatemquè vultu composito: Dum privatim cum servis versaris, ad familiaritatem: Dum ludorum aut sermonum amænitati indulges, ad lætitiã: At in bello, acre quiddam spiret, atque animosum. U-num illud te iterum monebo, ut sermonem perspicuum & probabilem seqvaris. Præterquam enim quòd mentis nuncia sic lingua, debiliorem argueret in Rege animum sermonis obscuritas; At falsitas multò magis, tanquam metu cuiuspiam non auderet verum dicere.
- Cic. 3. off.* At memento aliud esse orationis genus cum disputas aliud cum pro tribunali sententiam aut jus dicis vel cætera officii tui exequeris. Disputandum eteum est placidè & moderatè, & quasi tantisper positâ Regis perionâ: Nam contradictionem si impatientius tuleris, tuam sine ratione pertinaciam prodideris. In muneris tui functione, priusquam sententiam dixeris, consulto opus est; Ubi dixeris, contradicendi licentiam, qua & tuæ authoritatis majestas elevetur, & lites fiant immor-

immor-

immortales, Præcide: quod & ab omnibus inferioribus
judicibus & magistratibus observandum est.

In scriptione, quæ nihil aliud est quàm sermo lite-
ris consignatus, stilo utere perspicuo, brevi, & splendi-
do, cum in Edictis tum in Epistolis, præsertim ad Prin-
cipes exteros. Quod si te ingenii impetus ad aliquod
opus scribendum ferat, sive soluta sive ligata oratione;
hoc genus exercitii non possum non probare. Id so-
lum provide, ne suscepti operis prolixitate ab officio
avocere.

Cæterum hic noli tibi ipse adblandiri; sed prius-
quam aliquid edideris, peritissimorum in ea re, quam
tractas, artificum experire censuras. Et cum scripta
tua tanquam mentis totidem chirographa sint ad poste-
ros, impudicitia & turpitudine vacua esse decet. O-
mniaque, ametra, emmetra, *premantur* [ut ait ille] in
novum annum; dum primus ille furor, quo inter scri-
bendum incalueras, sensim deferveat; tuque jam, velut
alienus iudex & censor, omnia prius ad severiorem li-
mam revoces, quam publici juris fiant, quia--
missa reverti. Si dignè aves scribere, elige materiam te
dignam, non de nugis, sed de virtute; obscuritate, quan-
tum pote est, vitata. Si quid ligata oratione scripturus
es, scias non eam esse summam Poematis laudem, ut ad
numerum omnia aptè cadant, verborumque insignis sit
delectus; sed ut, omnibus in prosam solutis, appareat
inventionis acumen & similitudinum rerumque nitor
plus quam oratorius, & ut in prosa maneat species Poe-
matis. In scribendo autem utere patria lingua. Nam
Græcè & Latinè nihil non jam dictum est; & è scholasti-
co pulvere hic reperias æquales. Ad hæc, suam lin-
gvam polire & celebrare alienum non est à regia digni-
tate;

Isoc. ad
Nic.

Cic. ad Q.
fr.
De stilo
Principis.

Cic. 1. off.

Horat. de
arte

Idem ibid.

Arist. de
arte poet.

De
stilo

tate; qua in re, uti in cæteris, quæ honestioris sunt notæ, omnibus subditis par est Regem antecellere.

De corporis exercitiis.

Xen. 1. Cyr

Plat. 6. de leg.

Arist. 7. & 8. Polit.

Cic. 1. off.

Plat. ibid.

Xen. in Cyr. Isoe. de jug. Plut. in Alex.

De venatione.

Inter res non necessarias, quæ licent tamen & expediunt, primum sibi in Principe adolescente locum vendicant corporis exercitationes & ludi, sed qui faciant ad sanitatem & robur. Licet enim animi cultus, qui otii rubigine solet hebescere, maximè omnium conveniat Regi; corporis tamen hæ recreationes sua laude non carent; quæis profligatur otium, vitiorum omnium mater, & ad laborum patientiam corpus ipsum firmatur; in Rege res admodum necessaria. Asperiora tamen & violenta, ut pilam Scoticam, quæ pede propellitur, luxandis potius quam firmandis ludentium artibus compararam; petauristarum volutationes, funambulorum periclitationes, quæ histrionibus & agyrtis ad panem lucrandum inserviunt, ex hoc numero prorsus expungo. Quibus autem te uti velim, nec tamen ut artificii laudem sed corporis recreationem petas. sunt cursus, saltus, lucta, digladiatio, tripudium, pila reticularis, follis pugillatorius, arcus & sagitta, & id genus alia, amœna & campestria certamina: Sed præ cæteris equestria. Nam Principi laudi ducitur, si eqves omnium peritissimus sit & splendidissimus: Ut mihi id de te olim liceat dicere, quod Alexandro pater Philippus, ἡμανεδορία & σεχωρεῖ. Sed ea hic frequentabis certamina, quæ in æquo doceant usum armorum; torniamen nempe decursumque ad annulum, ut hastæ; & humilius illud eqvitandi genus, ut gladii facultatem pares,

Non possum hic venationem omittere, eam, quæ canibus venaticis exercetur, quæ species laudatissima est & nobilissima. Nam sagittis aut globis in feras grassari

grasfari illiberale est & furtivum: Et canis leporarii ministerium, nihil habet tam generosum ac militare. Sed ne suspectus videar venationis laudator, ego tibi Xenophontem laudo authorem veterem & illustrem, qui causas alterutri nostrum adulandi procul habuit. Is pul-

*Cic. 1. off.
Cyri pæ-
dia.*

ne proponit. Aucupium, quod per accipitres & falcones exercetur, non damno; parcius tamen laudo: Quia non ita militiam refert ut venatio, quæ equitem audacem, omniumque locorum peritum facit. Infortuniis quoque magis est obnoxium aucupium, & (quod omnium est deterrimum) bilem, cæterasque animi perturbationes supra modum irritat. Sed in utroque moderatio tenenda est, ne horas muneri tuo obeundo destinatas, quæ tibi religiosissime semper servandæ sunt, unquam negligas; siquidem illa omnia ad hoc instituta sunt; ut ad munus illud, cui natus es, fias expeditior.

*De aucu-
pio.*

*Arist. 10.
Eth.*

Ludos autem domesticos, quibus tempus fallentes ipsi velocitate temporis fallimur, etsi neque corpori neque animo conducant, non tamen omnino censeo improbandos; quum eam nostri partem occupent, quæ si vacua foret, malis cogitationibus vacaret, quia nihil potest esse vacuum. Nolo itaque quorundam nostra tempestate doctorum virorum curiositati astipulari (licet aliàs eruditionis & pietatis nomine eos suspiciam,) qui folia lusoria & aleam, omnesque ejusmodi fortuiti eventus ludos prorsus condemnant. In eo enim errant, quod ex principio malè intellecto rationem suam deduxerint: Nempe hoc genus ludorum genus esse sortilegii, ideoque illicitum: In quo sanè decepti sunt. Nam institutæ sunt sortes, ut veritas in rebus obscuris,

*De ludis
domesticis
Arist. 8.
polit.*

*Dan. de
lus. al.*

H

quæ

quæ aliàs expediri non poterat, enotesceret; ideoque vaticinii quædam species erat: At nemini in hisce propositum est veritatem latentem eruere, sed jactu aleæ pecuniæ quantum libet periclitari: Haut secus ac de equi aut canis celeritate sponsonem facere quis posset. Atque ita si ludi isti illiciti sint, nulla sponsio erit licita. Nec tamen ego aleatorum, & nepotum in me patrocini- nium suscipio, qui assiduè ludendo tempus profundunt; ejus jactura longè est carissima; & unâ patrimonium dilapidant; quin malle penitus abrogari, ubi hæc tan- ta incommoda vitari nequeunt: Tantum tibi vitio ver- tere non possum, si quando à gravioribus negotiis (quod bono Regi rarius contingit) feriaris, aut lectionis obre- pit tædium, aut corpore malè affecto; aut cælo minùs sereno, si tùm, inquam, vel aleæ vel foliorum lusu ani- mum reficias. Sola autem aleâ absq; alveolis certare perditissimos milites magis deceat, in extenta tympani membrana: Quod genus & fortunæ & nebulonum im- posturis nimis est obnoxium. Latrunculorum ludus displicet: Est enim nimis consulta & Philosophica stulti- tia. Cùm etenim omnes ludi eum in finem inventi sint, ut tantisper animos avocent à negotiorum molestiis, hic ludus, operoso nugarum apparatu, magis intendit ani- mos, quàm priores curæ.

*Observan-
da in lusu.*

Sed circa lusum tria hæc tibi propono observan- da. Primò ex lusu nihil præter animi recreationem captes, de nummorum, quos ponis, jactura nihil solli- citus. Secundò, ne amplius ponas, quàm inter asse- clas libenter spargeris. Tertiò, ut ludas ingenuè; ne doli aut mendacii consuetudo etiam per jocum obre- pat. Hæc tria si nequeas servare, proximum est con- silium, ut prorsus ab his ludendi generibus abstineas.

Nam

Nam neq; iracundia ex damno, neque perfidia ex lucri desiderio lusus nomen meretur.

Jam verò non licet modò, sed etiam expedit sodales habere rebus aptos, seu res ludicras tractare libeat, seu serias & graves. Nam juxta rerum occasiones distinguenda sunt & tempora & sodalitia. Noli in concilio, aut inter publica negotia, cum venatoribus tuis sermones habere; aut inter venandum ludendumque negotia conficere. Cum ætate quoque varianda est sodaliti, lususque opportunitas. Unamquamque enim ætatis partem suus maximè decet genius, insolitis utique & illicitis vitatis; nec ut senex eat in militiam, nec juvenis in Senatum. Id verò accuratè prospiciendum est; ut integræ vitæ sint collusores tui, nec infamiâ notati, nec vitiis corrupti, nec qui obscena jocosis misceant. Corruptunt enim bonos mores prava colloquia. Dominas præsertim, mera libidinis irritamenta, ante nuptias devita. Neve unquam in te ipse ita peccaveris, ut scurras tuos velis esse à consiliis, vel histriones & mimos sæpe esse in tuo comitatu. Constat tyrannos illo genere maximè delectatos, qui tragoediarum ac comoediarum auctores actoresque ipsi fuerunt. Unde quod Philoxenus Poëta Tyranno Syracusano indignabundus respondit, nunc in proverbium evasit, *reduc me in latomias*. Et hæc unica erat morituri Neronis gloriatio, *qualis artifex pereo?* Quòd scilicet cytharædus eximius & tragoædus periret. Et certè tota illius vita & mors nihil aliud fuit, quàm una tragoedia.

Noli ipse psallendi peritiam affectare, iis præsertim organis, quibus vulgò victus quæritur. Fuge mechanicis in rebus artifex haberi, *leur esprit s' en fuit au bout des doigts*, ait Bartasius: In cujus scriptis, ut Prin-

*Delectus
Sodalium.*

*Isoc. de
reg.
Cic. 1. Off.*

*Arist. 2. ad
Theod.*

Menand.

*Plat. 3. de
Rep.*

*Arist. 7. Et
8. Pol.*

*Sen. 1. e-
pist.*

Suidas.

*Suet. in
Nero.*

1. Sep.

cipe & quovis Christiano dignissimis, te cupio bene esse versatum. Quin in hilari consortio hic quoque interdum usus est, ut importunos declines. Te rationi æquum est cedere, quâ homines distinguuntur à bestiis, non importunitati.

Curt. 8.

Liv. 35.

Xen. in

Agel.

Cic. ad Q.

fr.

Regala
politie
optima.

Commoda
anionis.

Qua de causa, & ad majestatem augendam, meum exemplum non sequeris, ut omnibus omni tempore tui copiam facias: Neq; tamen ut Reges Persarum seclusus statis horis duntaxat aduentibus patebis.

Et quum te Divina benignitas pluribus regnis destinârit, quod sæpe ante jam dixi, ita tuos ipsius & comitum tuorum mores in rebus adiaphoris compone, ut ad illius, quod humanitate, moderatione, & obedientia primum judicaveris, instituta & mores cætera regna perducas. Etenim in rebus hisce mediis magna est ad virtutem illecebra. Cave tamen, ne potius eò homines cogere, quàm ducere videare. Itaque successu temporis & paulatim id fiat; quotidianæ vitæ consuetudine, & mutui conjugii fœdere devinctis inter se populis, ut non ægrè tandem coalescant. Quod inter has duas gentes eo facilius confieri potest, quia eandem tenent Insulam, ac religionis & lingvæ unione jam continentur. Ita hæreditario & prope naturali eorum odio, quod ex diuturnis bellis, cruentisque & crebris ortum est præliis, succedet ex hac politiæ unione, rerumque & mercium communione firmissima & individua eorum inter se concordia. Cujus amicitie redeuntis (DEO sit gratia) longe svavissima jam quoque sentimus initia, ex hoc, inter Reginam sororem meam charissimam & me, diuturno fœliciq; fœdere, quod inde usque, ex quo regnare uterq; nostrum cæpit, integrum & inviolatum permansit.

Uc

Ut autem summam manum huic operi imponamus; vide, mi fili, ut ex vera constantique in Deum fiducia felicitatem in tuo munere obeundo expectes. Vide, ut illius exterior functio interiori animi rectitudinem testetur, utque tui in rebus adiaphoris mores tui exprimant ingenii imaginem. Et cum magnum tibi onus incumbat & grave, cognoscendo patiens sis, præjudicatis opinionibus liber, definiendo maturus, sentiendo constans. Præstat enim vel ea in sententia permanere, cui error adjunctus sit, quam semper mutando nihil promovere, iudicio hujus rei sumpto ex corporis tui microcosmo, in quo bini oculi providentiam significant, attentamque rerum omnium inspectionem; Binæ aures patientiam audiendi, etiam utramque partem. At unam duntaxat linguam habes, ut sententiam dicas planam, perspicuam, uniformem. Caput item & cor unum, ne mutes consilium, quod rectum explorasti. Duas denique manus, duosque pedes cum multis digitis, ut insigni hoc instrumentorum apparatu, quæ placuerunt celerrimè peragas.

Sed vide nequid prius definias, quam ira, quæ est furor brevis, resederit; quam tu juxta Apostoli præceptum temperabis, *irascimini, sed ne peccetis*. In eo te oblecta, ut viros bonos non modo præmiis ornes, verum etiam honoribus; at neminem ultrà, quam Reip. viros ferte possint. Malos autem afficias suppliciis, at ut quisque pro se pœnam luat, non pater pro filio, nec frater pro fratre; nedum ut ob unius noxam totam familiam oderis. Nam noxa caput sequitur.

Tanti unum quemque facias, quanti ab eo virtutem fieri perspexeris. Nec tuum amorem cuiquam ultrà obstrinxeris, quam ille bene agendo mereatur.

*Epilogus operis.**Thuc. 6.
Dion. 52.**Hor. 1. Ep
Eph. 4.**Arist. 5.
Polit.
Dion. 52.
Plato de
leg.*

Vide ne quis justæ ultionis obtentu veniam impetret injuriæ. Priore enim injuriâ subditus læditur, at si læsus se vindicet, posterior fit tibi, cujus officium injustè usurpatur, ut cui soli gladius datus est ad omnes omnium injurias vindicandas.


Non abhorrebit, spero, ab his præceptis tua indoles, mi fili; nec tuam ipsius experientiam, quæ ex fera poenitentia stultorum cognoscitur magistra, sed tibi aliorum exemplum, sapientium virorum Pædagogum propones;

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.


Plat. in Pol. Cic. 5. de Rep. Sic te Deus amet, & paterna mactet benedictione, si tuî officii magnitudinem perpetuo habeas ob oculos, & tuorum omnium laborum finem in recta illius functione constituas; cætera, nisi quatenus huc ducunt, levia & inania existimes. Hoc extremum est, quod mando. Alii aliis ex rebus laudem petant, tu è regnandi scientiâ. Quemadmodum apud sublimem illum & heroicum Poëtam, Anchises posteris suis consulit & mandat;

Virg. 6. Aneid.

*Excudent alii spirantia mollius æra:
Credo equidem, & vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius: Cælique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacig, imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.*



JACOBI REGIS ANGLIÆ
JUS LIBERÆ
MONARCHIÆ,
SIVE
DE MUTUIS REGIS
LIBERI ET POPULI
nascendi conditione illi subditi
OFFICIIS.




PRÆFATIO.



*Q*uod vobis offero, charissimi Cives, tam gra-
tanter, obsecro, admittite, quam vobis a-
manter inscriptum est. Nolui simul inanis
esse, & prolixus: Brevitatem saltem spon-
deo, si abest rerum gravitas. Quod si nou-
nulla etiam pratermissa videbuntur, scitote
mihi propositum fuisse veritatis fundamenta sternere, non
refutandis adversariis tempus impendere. Veruntamen,
qua apud eos firmiora sunt hic quoq; (ni fallor) invenietis
aut contrariis rationibus aut tacitis objectionibus, oblique li-
cet & latenter, convulsa. Consilium erat non irritare, si
qua pote esset; sed instruere & docere. Ego opera pretium
retulisse videbor, si vos, juxta hanc viventes normam, ad
virtutem Regisque obsequium in posterum firmetis animos;
tum, quoties cum factiosis hominibus, qui rebellionum tu-
multus hic vel alibi excitatos laudare vel excusare ausint,
vobis res erit; his tuti presidis Sirenium cantus contemna-
tis; hac trutina singula eorum exempla expensuri. Ita de
factis omnibus quam rectissime judicabitis; hoc est, juxta
eorum indolem, non vestram de eorum auctoribus opinio-
nem. Dulcis mihi labor erit, unde hic vobis nascatur fru-
ctus. Sed ne ex Praefationis ore nimis hiante totus libellus
exeat atque evadat, precor Vobis Numen beni-
gnum, & mihi vestram censuram
propitiam.

JUS



JUS LIBERÆ MONARCHIÆ.

DOST DEI Opt. Max. notitiam sicut nihil est in ulla Republica necessarium magis scitu, quàm fidei & obsequii ratio Magistratui juxta leges debita; præsertim verò in Monarchia, quæ unitatis particeps, Deitatisque æmula, consensu prudentum cæteris perfectior semper judicata est: Ita inscitia rei tantæ, & (quod pejus est) vulgi error ab iis profectus, qui sapientiæ Magistri haberi volunt, florentissimis Rebuspublicis exitium, cæteris exitii metum attulere. Blandiens fortunæ impietas, quæ non rarò seditiones adversus Reges concitatas prospero donavit successu, permultos in hoc errore confirmavit; quanquam (ut postea ostendemus) nihil sit fallacius, quàm ex eventu de causa ferre sententiam. Nulla autem est fuitve Resp. cui magis conducere possit hujus rei notitia, quàm nostræ, infinitis seditionum miseriarumque fluctibus jam diu agitata: Quæ mala permulti quidem sentiunt, pauci oppidò intelligunt, aut causas vestigant. Patriæ amor, malorumque diuturnorum miseratio, mihi tandem si-

I lentium

lentium rupere ; ut bonæ mentis imperio defungerer , vosque ad ejus rei notitiam perducerem , ô populares , ex cujus inscitiâ vestræ sine fine exorte sunt calamitates. Ita intellectâ causâ vitabitis effectus ; ostensaque radice , fructuum , quos toties gustastis , amaritudinem purgabit. Statui igitur brevissimo hoc tractatu Regis liberi & populi subditi mutua describere officia ; misis contrariis opinionibus , quæ tanquam veneno lectorum suorum animos nonnulli scriptores imbuere , suamque ad posteros ignominiam propagare non erubuerunt : Quorum si singula refellerem , & vestrâ abuterer patientiâ , & auctores ipsos , eo quo digni sunt , sale fricare necesse haberem : Lectores quoque meos , ut sua quemque libido ferret , in partes distraherem , potius quàm in unica veritatis via firmarem : Quem ego mihi in hoc tractatu (testor eum qui corda scrutatur) unum solumque scopum propono.

Cum Monarchia igitur Divinæ potestatis quædam imitatio sit , ejus primò è sacris literis substernam fundamenta : Deinde verò è vetusto regni nostri jure , quod nobis charissimum esse debet ; tertio è lege naturæ per varias similitudines omnia confirmabo : Ad gravissima denique & in speciem validissima adversariorum argumenta respondebo.

Regis erga subditos officium passim è sacris literis , & ex jurejurando , à bonis Principibus tempore inaugurationis præstari solito , ita notum est , ut proluxa descriptione nihil opus habeat.

Psal. 82. v. 6. Reges *Deorum* titulo ornantur à Rege Vate , quia Dei solio in terris insident , & Deo soli sui reddunt officii rationem. Eorum autem officium est *judiciis præesse*
Psal. 101. *Et jus populo reddere* , ut idem ait : *Bonos evehere , malos depri-*

deprimere, eodem auctore: *Bonas leges ferre earumque jussa facere*, ut à Judæorum Regibus permultis factum novimus. *Pacem populi sanctam tectam servare*, ut idem David præscribit: *Controversias omnes populi dirimere*, quod Salomon fecit: *Dei ministros esse, eorum bono, qui bene agunt; eorum supplicio, qui malè*, ut Paulus ait: *Exgredi & ingredi coram populo, ut Pastorem decet*, quod I. Sam. habetur; ut juxta Jeremiam ex regia prosperitate pax populi oriatur.

Nostri autem Reges, ut cæteri Christiani Principes, dum inaugurantur, juramento se obstringunt, cujus hæ sunt partes: Religionem patriam juxta patrias leges defendere: Novatores omnes & turbatores punire: Bonas leges à majoribus latas, earumque exercitium tueri; delinquentes verò & contumaces ex earum præscripto castigare: Regni denique & Ordinum immunitates & privilegia sancta tecta conservare, sive adversus hostes, sive inter se: In summa, populi bono & ornamento studere: Et ad eam rem non solum veteres leges defendere, earumque jussa exequi, & novas, si ita mali mores exigant, sancite; verum etiam imminetia prævidere pericula, & quibuscunque rationibus ea præcavere: Concordiam, opulentiam, humanitatem inter cives fovere: Iis, ut patres & excubitores decet, majore cura prospicere, quàm sibi; quum sciant se eorum gratiâ factos esse, non contra; nec ignorent Deo reddendam esse omnium rationem, qui Regibus suam vicem ea lege mandavit, ut si propriam salutem amarent, populi sibi crediti salutem unicè quærerent, corporibusque & animabus (quantum pote est) invigilarent. Ex hoc juramento inaugurali potius, quàm ulla lege quantumvis antiqvâ & sanctâ, Regii officii definitio petenda est.

Psal. 101.

2. Chrō. 18.

2. Chr. 29.

2. Reg. 22.

23.

Psal. 72.

1. Reg. 3.

1. Rom. 13.

Rex igitur, dum coronatur, jure naturæ fit Subditorum pater. Paternæ enim incumbit curæ liberos alere, educare, honestè instruere: Regis erga subditos eadem est sollicitudo. Parentibus labor omnis pro liberis susceptus svavis censetur: Nec piget facere quicquid in eorum commodum & bonum redundat: Bonus Princeps erga subditos eodem modo affectus est. Pii parentis est omnia, quæ liberis accidere possunt, incommoda prospicere, & cum suo etiam periculo eorum pericula amoliri: Ita Regis est populo suo consulere. Ira quoque & pœna, qua liberorum castigantur offensæ, merè paterna est, & dum resipiscentiæ spes superest mansuetudine temperata: Regis est in Subditorum delicta, quæ illum non transcendant modum, sic prorsus animadvertere. Summa deniq; patris est voluptas, liberorum commodis obsequi: Ideoque de eorum bono afficitur lætitiâ, de adversis & malis miseratione & mœrore; Eorumque securitatem suo redimit periculo; quietem labore; somnum vigilia; & in summa felicitatem hujus vitæ magis in illis ponit, quàm in se ipso: Ita boni Principis animus est in populum.

Altera hujus mutui & reciproci vinculi pars est Subditorum officium & fidelitas in Principem. Cujus fundamentum petam ex verbis Samuelis à Spiritu Sancto dictatis, quum ille populo petenti Regem Divino jussu daturus erat. Et quoniam ea Scripturæ pars tam est nostro instituto accommodata, ipsa verba hisce nostris inferere visum est.

9. **N**unc itaq; ausculta voci illorum: Veruntamen quum sedulo contestatus fueris contra eos, & indicaveris eis rationem istam Regis, qui regnaturus est super eos.

10. Itaq;

10. Itaque indixit Schemuel omnia verba Jehova populo, pe-
tentibus à se Regem.
11. Ac dixit: Hæc erit ratio ipsa Regis, qui regnabit super
vos; filios vestros accipiet, ut sibi disponat in curribus suis,
& in equitibus suis, & currant ante currum suum.
12. Et ad disponendum sibi chiliarchos, & præfectos quingua-
genis, & ad arandum arva sua, & ad metendum mes-
sem suam, & ad faciendum instrumenta bellica sua, & in-
strumenta curruum suorum.
13. Similiter, filias vestras accipiet, in unguentarias, in co-
quas & in pistrices:
14. Etiam agros vestros, & vineas vestras, ac oliveta ve-
stra optima accipiet, & dabit servis suis.
15. Semina quoque vestra, & vineas vestras decimabit, &
dabit aulicis primoribus suis & servis suis.
16. Servosq; vestros, & ancillas vestras, ac juvenes vestros
prestantissimos, & asinos vestros accipiet, adhibebitque
ad opus suum.
17. Greges vestros decimabit, deniq; vos eritis ei servi.
18. Adeò ut clamaturi sitis die illa propter Regem vestrum,
quem elegeritis vobis, sed non exaudiet vos Jehova die
illa.
19. Renuerunt tamen populus auscultare voci Schemuelis;
& dixerunt, nequaquam, sed Rex prærit nobis:
20. Ut sinus nos quoque sicut omnes ista gentes, & vindicet
nos Rex noster, & procedens ante nos gerat bella nostra.

Quòd verba hæc & fermocinatio Samuelis cum
populo à Spiritu Sancto sint, alia probatione non eget,
quàm quòd pars quædam hæc sit Sacræ Scripturæ, quæ
tota teste Paulo Ἰεσοῦς est: Quod principium nemo
mihi unquam Christianus negaverit. Unde necessariò

90
JUS LIBERÆ MONARCHIÆ.
efficitur non esse ista verba è Samuelis ambitione nata,
quasi habenas, quas tam diu rexerat, ægrè poneret è
manibus; & Regium imperium faceret invisum, ut po-
pulum à Regis flagitandi importunitate absterreret.
Nam ille (ut ex contextu evincitur) populum jam in u-
num convocaverat, ut eorum petitioni libens annue-
ret, quemadmodum illi disertis verbis DEUS manda-
verat,

Ausculta (inquiens) voci populi.

Disfvadere autem id velle, cujus concedendi gratiã ac-
cesferis, vix Sapientis esse putem, nedum Prophetæ Dei
altissimi. Præterea ex toto vitæ sequentis instituto fa-
tis apparet, non illum ambitione percitum tam diu po-
pulo dissensisse. Hanc ille suspicionem longissimè à
se removit, quùm pro Saule assiduis apud Deum preci-
bus intercederet; Nec etiam post indicatam à Deo Sau-
lis reprobationem orare desineret, donec Deus ipse, cre-
bra ejus interpellatione commotus, vetuit tandem, ne
id ultra peteret. Quòd verò hæc verba non eò loquu-
tus sit Samuel, ut Saulis primi eorum Regis defectionem
prædiceret, ex multis colligitur: Tum quia tyrannum
illum vel oppressorem evasisse non est proditum in sa-
cro codice in quo tanquam in perfectissimo eorum o-
mnium, quos exhibet, Regum speculo hoc peccatum,
si fuisset, unà cum cæteris apparuisset. Tum quis ob
virtutem & dotes imperio dignas electus est Saul à Deo,
ut regeret Israëlem. Quòd autem postea defecerit,
id depravato ipsius ingenio, non Deo imputandum est:
Qui contra sentiunt DEUM veluti vitricum populi sui
accusant, qui eis Regem elegerit, quem ad regendum
sciverit ineptissimum: Siquidem illius Regis electio à
solo Deo proximè profecta est. Samuel igitur (ut con-
side-

sideranti perspicuum est) in eum finem hæc populo lo-
 quutus est, ut eorum animos ad Regis, quem Deus da-
 turus erat, obsequium præpararet. Quamobrem ut se
 patientia armarent, & Divinæ institutioni cederent, e-
 normia illa vitia, in quæ nonnulli è futuris Regibus in-
 cidere possent, enumerat vates, quasi diceret: Quùm
 intempestivis vestris precibus Deus Opt. Max. dato Rege
 satisfecerit, cavete, ne ut Divinum jugum temerè nunc
 excussistis, Rege ante tempus petito; sic jugum Regium,
 quod Deus vestris precibus victus vobis imponet, utut
 grave videbitur, pari temeritate excutere conemini: Hic
 enim error priore gravior futurus est. Nam ut Regem
 nonnisi Divino permisso jusque potuistis consequi, ita
 eum semel vobis præfectum, nonnisi eodem DEO au-
 ctore potestis abdicare. Ideirco in tempore vos ipsos
 patientiâ & modestiâ armare, quoniam penes eum so-
 lum est Regem dejicere, qui evexit. Nihil vobis relin-
 quitur nisi parere, & ferre æquo animo quæ prænuncio
 incommoda. Dei enim est hic digitus, quem vobis ve-
 stro arbitrato depellere nefas est.

Quod si ipsa contextus verba eo, quo posita sunt,
 ordine expendere libeat, qualis debeatur Regibus obe-
 dientia perspicuum fiet.

Primò enim duo imperat Deus Samueli; unum
 quidem, ut petenti populo Regem concedat: Alterum,
 ut mala, quæ à Regum nonnullis passuri erant, prædi-
 cat; ne fortè, quùm illa evenirent, in hæc aut similia
 verba indignantes erumperent: Si Deus, cum Regem
 peteremus, indignæ hujus servitutis, quæ jam nimis sed
 ferò nota est, nos præmonuisset, nullum unquam Re-
 gem admissemus. Et hæc est eorum verborum mens:

Nunc

Nunc itaq; ausculta voci illorum; Veruntamen quum sedulo contestatus fueris contra eos, & indicaveris iis rationem istam Regis, qui regnaturus est super eos.

Deinde exequitur Divinum jussum Samuel & hæc duo præstat: Primò ostendit, quibus justitiæ & æqvitatibus legibus violatis Rex populo futurus sit gravis. Secundo pristinae libertatis spem illis omnem præcidit; ut ut jugo illo, quod sua importunitate à Deo accersivere, se opprimi sentiant. Æqvitatis leges à Rege violandæ his verbis habentur:

11. *Ac dixit: Hæc erit ratio ipsa Regis, qui regnabit super vos; filios vestros accipiet, ut sibi disponat in curribus suis, & in eqvitibus suis: & currant ante currum suum.*

12. *Et ad disponendum sibi chiliarchos, & præfectos quinquagenis, & ad arandum arva sua, & ad metendum messem suam, & ad faciendum instrumenta bellica sua, & instrumenta curruum suorum.*

13. *Similiter filias vestras accipiet, in unguentarias, in coquas, & in pistrices:*

Leges justitiæ à Rege violandæ illis verbis habentur:

14. *Etiam agros vestros, & vineas vestras, ac oliveta vestra optima accipiet, & dabit servis suis.*

15. *Semina quoq; vestra & vineas vestras decimabit, & dabit aulicis primoribus suis, & servis suis.*

Quasi diceret: Florem ipsum vestræ nobilitatis servilibus circa se officiis dehonestabit. Nec suo contentus patrimonio, ex agrorum vestrorum, & vinearum, & hortorum opimis, exque pecore vestro, luculentos sibi colliget proventus. Ita ille inverso naturæ ordine, inverso Regis officio, vos ipsos, & posteros vestros, agrosque, & opes suæ mancipabit libidini.

Præmo-

Præmonitio autem illa, quòd jugum ipsorum importunitate à DEO impositum, quantumvis gravarentur, nunquam tamen excuterent, his verbis exprimitur:

Adeo, ut clamaturi sitis die illa propter Regem vestrum, quem elegeritis vobis: Sed non exaudiet vos Jehova die illa.

Quasi diceret: Quùm hæc omnia quæ prædico, olim ingrata experientia vobis comperta fuerint, fremite & indignamini ut libet, non licebit tamen potestatem excutere, quæ & divina institutione & vestra electione vobis præest. Volentes etenim excidistis privilegiis, quibus pristinam vestram libertatem olim repetatis: Nec Deus permittet everti, quod se auctore vobis orantibus stabilitum est. Ac ne fortè crederent rescindi olim posse contractum, quem ipsi unanimi consensu firmarant, Samuel, ut omnem illis excusationis prætextum auferret, postquam hujus jugi gravitatem & onus multis ostendisset; quid illis animi sit interrogat, & an libenter illud susciperent? Illi autem susceperunt, ut his verbis apparet:

Renuerunt tamen populus auscultare voci Samuelis, & dixerunt: Nequaquam, sed Rex prærit nobis.

Quasi dicerent: Neque sermonum tuorum, neque conditionum durities à nostro voto nos absterret. Nostra erit ista bonorum malorumque fors; Neque nos, quod cæteræ gentes ferunt, à nostris Regibus impositum onus detrectabimus. Quin si Reges nostrorum bellorum duces esse voluerint, hujus beneficii gratiâ æquissimo animo, quicquid oneris injunxerint, feremus.

Nunc igitur, quùm omnibus Christianorum Regnis tanquam exemplar quoddam proponi debeat Monarchia Judaica, quæ ab ipso DEO instituta nullas leges
 K habuit,

habuit, nisi divino editas oraculo; cur, obsecro, turbulenti & factiosi homines in Christianorum Principum Regnis libertatem sibi vendicent, quæ Dei populo non debebatur? Præsertim quum nullius unquam Regis major fuerit enormitas, aut superbia, quàm populo Israëlitico hic prædicta est: Nisi fortè tyrannidis nomen non mereatur hæc hominibus illata vis, & filiis, & filiabus, & ministris; hæc nobilium familiarum: & utriusque sexus procerum ad indigna, & servilia munia compulsio; hæc agrorum, opumque ad unius hominis commoda, ejusq; Aulicorum & Comitum factum expilatio. Omnis tamen rebellio hæc passuris interdicta fuit.

Et ut hujus dogmatis in sacra pagina fundati veritas ex perpetua in eodem libro experientiæ observatione amplius elucescat, nunquam legimus, svadentibus Prophetis, adversus Regem quantumvis impium fuisse olim à populo rebellatum.

Quum huic ipsi Sauli denunciasset Samuel, DEO ita visum esse illi sceptrum adimere, & alteri dare; quod revera nihil aliud erat, quàm Regem in ordinem cogere, & dignitate Regiâ exuere; statim inde domum se contulit Propheta, & multo fletu Divinam pro Rege misericordiam sollicitavit: Tantum abest ut quicquam turbarum dederit.

Et David, cum jam Rex suffectus vindicare jure posset injurias, quas à Saule, cui honestissimè & sine ullo maleficio servierat, perpesus fuit; tantum aberat, ut unctum Domini occideret, quum posset; ut ægre sibi persvaserit vestimentum ejus attingere, nec id quidem, nisi summa cum religione, imò capitalis hostis benedictione. Postea quum non nemo Saulem à se occisum falsò jactaret, David, neglecto judicii more, neglecto delicti

delicti examine, illud ipsum lingvæ flagitium è vestigio morte vindicavit.

Et quamvis Achabo nemo unquam vixerit dirior tyrannus, rebellio tamen adversus eum ab Elia nulla alia concitata fuit, quàm quòd in desertum fugerit, ubi alimenti inops à corvis pasceretur. Nec quisquam, opinor, dubitabit, quin Samuel, David, Elias, si visum modò illis fuisset seditionibus adversus Reges concitandis operam & auctoritatem suam impendere; apud populum tam gratiosi fuerint, quàm quisquam nostra tempestate è factiosis illis Concionatoribus, cujuscunq; demum sectæ fuerint, vel hic vel in Gallia; quibus unum hoc negotium datum est, religionis obtentu rebelliones ciere. Hactenus veritatis amor sed (testor) sine personarum odio acerbum me fecit.

At si quis extraordinariis illis in sacro codice Regum abdicatorum aut occisorum exemplis populares seditiones voluerit tueri, quale erat facinus Jehu & id genus alia: Respondeo, præterquam quòd parem auctoritatem ista non habeant, si extraordinaria Scripturæ exempla in quotidianam vitæ consuetudinem trahi debeant, tum verò dicemus homicidium commissum per fidem, ut in Ahude & Jaele, & furtum, ut in Israëlitis digredientibus ex Ægypto; & mendacia apud parentes in fratrum damnum, ut in Jacobo, actus esse è virtute profectos, nec minore laude dignos, quàm rebelliones adversus Principes. Et ut summam dicam, ex perpetua Scripturæ praxi constat populum legi illi paruisse.

Judicibus convicium non dices, nec de populi Rectore loqueris malè.

Itaque ut dogmatis hujus petita è sacris literis fundamenta absolvam, duo insignita & propria exem-

Jerem. 27. pla, unum sub vetere Lege, alterum sub Evangelio in medium adducam. Jeremias sub Lege propter rebellionem adversus Nebuchadnezareem, Regem Babylonis, Dei populo minitatur exitium: cui Regi, & idololatræ, & crudeli, & peregrino, & tyranno, & libertatis Judaicæ prædoni ideo censuit Propheta à Judæis parendum, quia semel illum Regem admiserant, & agnoverant. Quin & pro illius felicitate preces æstimavit fundendas, addita ratione, quòd ejus felicitate eorum pax staret.

Sub Evangelio Rex ille, cui Paulus jubet parere, & conscientiæ causa servire, fuit tyrannus ille sanguinarius, seculi sui labe, & orbis opprobrium Nero; nec minus quàm Rex Babylonis idololatriæ & Sanctorum odio infamis. Quòd si igitur nec idolorum cultus, nec apostasia, nec tyrannis, nec Sanctorum propter veritatis professionem odium, Spiritum Sanctum retardarint, quò minus ejusmodi Regibus sinceram & justam obedientiam etiam conscientiæ causa præstari à populo juberet, & Cæsari dari quod est Cæsaris, & DEO quod est DEI, ut Christus ait; si universa hæc Divini Codicis praxis cum primaria Lege institutionis Monarchiæ Judaicæ ad ungvem congruit, ut ante prolixè rem deduximus; quanta sit ista & quam impudens in Christiano quoquam populo arrogantia, eam sibi libertatem injustè ire asertum, quam DEUS suo ipsius electo populo noluit indultam? Ut igitur juxta hæc nostra è sacris literis argumenta universum hoc Subditorum in Reges officium, & fidelitatem, duarum aut trium sententiarum ambitu complectar: Regi obedire debent subditi, ut Dei in terris vicario: Regis jussa facere, ut Dei ministri, nisi quùm divinis jussis è
dia-

diametro repugnant. : Regem ut Judicem suum vereri datum à Deo; & soli Deo, sive cum judicat, sive cum rationem judicii sui reddit, obnoxium. : Regem denique metuere tanquam vindicem, amare tanquam parentem, pro eo orare tanquam patrono, si bonus quidem sit, ut duret; si malus, ut resipiscat: Justa ejus jussa promptè exequi, in injustis verò furorem ejus absque re- latione fugere, soloque fletu & suspiriis repugnare. : Deo in auxilium vocato, juxta illud in primitivæ Eccle- siæ calamitatibus,

Preces & lachrymæ sunt arma Ecclesiæ.

Jam verò, ut qualis esse debeat Subditorum in Principes fidelitas ex civili & antiquo hujus regni jure manifestum fiat, quod ab initio promisi: Prius ostendere necesse est quo modo leges inter nos primitus la- tæ, & certa politiæ ratio instituta fuerit; ut, fundamen- to arte substrato, tota ædificii compages stabilior fiat. Quanquam verisimile illud sit, quod ab iis adferri solet, qui Tyrannomastiges haberi volunt, in primo nempe Regum inter gentes ortu, ipsâque mundi infantia Re- ges fuisse primò è media turba electos, qui probitatis & fortitudinis opinione cæteris antecellerent, qui in- firmiores protegerent, violentos dejicerent, & civilem societatem sanctam tectam conservarent; quod aliàs nisi virtute unius commodè fieri non poterat: Aliena tamen sunt à nostra quæstione ejusmodi exempla, quùm lon- ge alia, imò contraria fuerit nostri regni origo.

Nam (ut annales nostri testantur) quùm hæc In- sula, & præsertim borealior ejus pars quæ nostra est, par- cè admodum & à paucis coleretur, quibus non minus parca erat humanitas; ex Hiberniâ, quæ diu ante nos habitata fuit, cum ingenti hominum numero transfre-

tavit ad nos Fergusius: Et partim Hibernorum auxiliis, partim indigenarum, qui sponte ad ipsum transibant, amicitia, rerum potitus, brevi totius terræ, & omnium ejus incolarum Dominum & Regem se fecit. Ab illo, & illius succesforibus, diu ibi regnantibus, leges, prout res exigebat, latæ sunt. Veritas igitur è diametro pugnat cum seditiosorum Scriptorum fallaciis, qui nobis persuadere conantur ante latas fuisse, & stabilitas leges, quàm Principes rerum summam tenerent. Vel hinc perspicuum est Barbaris à sapiente Rege Remp. fuisse primò datam, deinde leges. Quod jus ab illius posteris hæctenus usitatum fuit.

Igitur in Scotia, antequam ulla foret Reip. facies, aut ordinum distinctio, aut leges, aut comitia, Reges erant. Ab his terra, quæ tota ipsorum fuit, dividi cæpta est, & ordines hominum distingvi, & politicum regimen stabiliri. Unde efficitur leges nostras esse à Regibus, non à legibus Reges. Quod ut adhuc liquidius appareat; Ex Archivis nostris, in quibus antiquum & primævum regni jus aservatur, satis constat *Regem esse Dominum omnium bonorum, & totius ditionis dominum directum: Omnes subditos esse ejus Vasallos, qui latifundia sua ipsi, ut Domino, referant accepta, sui nempe obsequii & servitii præmia. Penes quem sit jus possessionis mutare, ut ex nuda habitatione feudum facere, & novos Barones creare; & hæc omnia sine Comitiorum auctoritate, vel curiæ ullius consilio. Ut si fas esset jus violare (quanquam mea opinione injuria, ubi est, injuria est,) Rex subditis quicquid possident terrarum longè speciosiore prætextu adimere, suoque de illis arbitrato statuere posset, quùm omnium sit Dominus, quàm populus (ut nonnulli malè feriati scripserunt)*

runt) Regem abdicare, & alium illi sufficere. Sed utrumque horum ut injustum, & divinæ ordinationi contrarium, cogitatu, nedum factu turpe debet cense-
feri.

Et juxta primævum hoc terræ nostræ jus, quotidie in Comitibus Regni, quæ Regis & Vasallorum suorum præcipua Curia dici meretur, cernere est leges à Subditis rogari, quæ à solo Rege, Subditorum consilio, feruntur. Quamquam enim inconsultis Comitibus & regni ordinibus Rex ipse multis & pœnis arbitrariis adjectis constitutiones indies sancire possit, nusquam gentium est tamen penes Ordines vel legem ferre, vel constitutionem stabilire sine Sceptri Regii ope, unde omnis legum vigor & vis. Et quamquam in aliis regionibus ingentes regii sanguinis factæ sint mutationes, sceptri jure ad novos Dominos jure belli translato; eadem tamen illic cernitur in terram & Subditos potestatis Regiæ vis, quæ apud nos, qui Dominos nunquam mutavimus. Quum spurcius ille Normandicus validissimo cum exercitu in Angliam transisset, quo, obsecro, nisi armorum & belli jure Rex factus est? At ille leges dedit non accepit, & vetus jus & consuetudinem Regni antiquavit, & avitis possessionibus everfis homines novos & peregrinos imposuit, suæ militiæ comites; quemadmodum hodie præque Angliæ Nobilitas Normannicam præ se fert originem; & leges Normannico scriptæ idiomate facile testantur auctorem. Nihilominus posterius ejus Sceptrum illud hætenus feliciter tenuerunt. Nec hoc soli Normanno licuit: Idem jus omnibus fuit, qui ante illum victæ Angliæ leges dederunt.

Et, ne longius hic morer, Regi competere universæ terræ Dominium satis liquet ex legibus de thesauris,
de

de spuriis, de iis qui moriuntur sine hæredibus. The-
 sauri enim sub terra reperti, quorum custodia ususve,
 nullius est, ipso jure sunt Regis. Et, si quis sine hære-
 dibus moriatur, prædia bonaq; Regi ut veteri Domino
 censetur relinquere. Et spurius; si ante excesserit è
 vitâ, quam à Rege, qui solus id conferre potest, jus Le-
 gitimi consecutus fuerit; Regem habet ex asie hære-
 dem. Jam verò, ut ex dictis constat Regem esse terræ
 Dominum, ita non minùs verum est in personas omniù
 idem illi jus competere; quæ est irrefragibilis vitæ &
 necis potestas. Licet enim justus Princeps absque le-
 ge neminem vita exuit; lex tamen ista, juxta quam di-
 cit mortis sententiam, ab ipsomet, aut decessore ejus
 latâ est: Et, quod hinc efficitur, ab ipso non à lege po-
 testas ista derivata est. Boni enim Principes, ut quoti-
 dianò usu notum est, novas leges etiam propositis pœ-
 narum minis sancire solent, quibus ea vetant fieri, quæ
 si vetita non essent sine peccato fieri possent. Nec volo
 tamen veterem illam Regis & Legis distinctionem; quæ
 Regem facit loquentem Legem, Legem verò Regem mu-
 tum, è medio tollere. Nam nec Deo administrationis
 suæ rationem reddere, nec securè aut feliciter inter
 homines regnare potest, qui regnando leges negligit.
 Esto enim [quod prolixè fatis ostendi] Rex lege sua, cui
 auctoritatem & robur confert, dignior & major; at, si
 bonus est, non modo omnia extra se juxta leges dirigit,
 sed summam in ea voluptatem ponet, ut ex earum præ-
 scripto ipse vivat; ab æterna illa Lege nunquam rece-
 dens, *Salus populi suprema Lex esto.* Quòd si in jure ob-
 scurum aliquid sit, aut nimis severum, Regis est lucem
 affundere, & secundùm æquum & bonum interpretari;
 ne fiat illud, *summum jus summa injuria.* Ideoque pu-
 blicæ

blicæ leges, in regni comitiis latæ, possunt à Rege mitigari, & propter certas causas illi soli cognitæ suspendi.

Porro, quod dixi bonum Regem juxta leges vivere, non ita intelligendum est, quasi tenerentur hoc facere, sed quòd sponte sua, ut Subditis exemplo præeat, id facturum sit: Verbi gratiâ Rex in quadragesimali jejunio familiam suam volet abstinere à carnibus; At ipse neglecta lege, quoties volet, comedet; nec dispensatione ulla ad eam rem indigebit. Pariter interdicta est jure nostro tormentorum gestatio; at Regi licebit, quoties adversus latrones aut rebelles expeditionem suscipit, suos comites his armare. Itaq; (ut dixi) bonus Rex vitam omnem juxta Leges formabit, sed sponte sua, & ut subditis exemplo præeat, non quòd ipse legibus Subditus aut adstrictus sit.

Cum igitur ex antiquissimo hujus Regni jure, perpetuaq; consuetudine, satis jam constet de Regia in homines, eorumq; possessiones potestate; facile erit intellectu, quæ illi fides, quod obsequium debeatur à Subditis. Semper autem liberos Principes, qualis noster est, intelligo; non electos à populo; multò minùs ejusmodi Rectores, qualis est Venetorum Dux, cujus Aristocratica & restricta potestas Monarchicæ libertati nihil habet affine: Ut ut inter hos & illos quorundam scriptorum impudentia nihil agnoverit discriminis.

Quod si inferior feudi Dominus, quicquid demum prætexatur, jure suo à Vasallis nequeat exui, (ut omnibus est notissimum) quanto minùs Princeps, supremus ille omnium Dominus, à Subditis suis in ordinem cogatur, vel auctoritate privabitur. In inferioribus regni judiciis Magistratum potestates, quæ omnes Regi subserviunt, arbitrio populi non moventur suo loco. Nec

L

enim

enim Urbium Præfectos ante novæ electionis tempus civibus fas est rejicere : Nec in Ecclesiasticâ politiâ Pastor gregis sui censuræ aut potestati obnoxius est : Ne quidē vilis Ludimagister ejici potest à discipulis. Si ex his, quorum omnis potestas aut vicaria, aut temporaria est, & cum Regiâ collata aut minima aut nulla : Si ex his nemo per quascunque causas exui possit dignitate ab iis, quibus præfunt, multò certè minore jure Rex ipse, magnus regni Præfectus & Magister, abdicabitur à Subditis : Nisi fortè inverso Legis & naturæ ordine majorem par sit à minore leges accipere ; judicem judicari à reo ; & summum omnium Dominum iis subesse, quibus præest.

Quàm appositè autem Lex naturæ cum divino humanoque jure in hac causa conveniat, duplici similitudine apparebit. Idem Rex est populo suo, quod pater est liberis ; quod caput est corpori è multis membris composito. Nam in Republ. Israëlitica piæ memoriæ Principes, & Rectores non dubitarunt patres se populi fateri. Et in aliis Rebus publ. titulus Patris Patriæ Regum proprius fuit, iisq; sæpe decretus. Et sanè perquam similia sunt Regis in subditos, & capitis in corpus officia. Capitis est pro ratione sibi datâ quæcunq; corpori aut ejus membris eveniant incommoda prospicere & avertere : Principis est eandem populi curam gerere. Capitis est ratiocinari & imperare, corporis verò secundum variâ membrorum munia illius exequi imperium. Ita se res habet cum Principe & populo. Ut ratio è capite profecta non modo membra omnia corporis, dum sana sunt, exercet ; sed & ægra, si medicabile videatur malum, quantum pote est restituit ; si immedicabile, præcidit. --- *ne pars sincera trahatur.* Ita quoq; se res habet inter Principem & populum. Denique ut nullius membri
curatio

curatio desperata est capite, cujus consilio instituenda est curatio, rectè valente; ejus autem valetudine affectâ omnia membra simul affici necesse est: Ita quoq; se res habet inter Principem & populum.

Quod verò ad patrem attinet; cujus σοφῶν erga liberos primâ tractatus hujus parte explicui, dum Regis erga Subditos officium complecter; animadvertite, obsecro, quibus erga illum officiis liberi devincti sint: An non monstri simile foret, si inventâ causâ in illum confurgerent, & cum visum esset, abdicarent, è medio tollerent, alium in ejus locum adoptarent? Dicite an ullus paternæ severitatis aut improbitatis prætextus absolvat liberos, si violentas patri injiciant manus? Hic est naturæ impetus, ut descendat potiùs quàm adscendat amor; fingamus tamen invisos esse patri liberos, & indignis (si velis) ab eo modis tractari; eritne aliquis ita ob omni ratione alienus, ut liberis licere putet patri suo par pari referre? Dicite, si pater nudo gladio insequatur filium, an huic fas erit se obvertere, & verbera verberibus rependere, aut alia ratione patri resistere, quàm fuga? Facile esset ex ipsis brutorum animantium moribus, si cætera omnia deficerent, hoc evincere. Et ut celebratam illam ciconiarum in senes & invalidos parentes pietatem omittamus, nonne passim notum est multas reperiri & volucres & bestias, quæ foetus suos, sibi alendis & tuendis jam pares, multis verberibus & sanguine à se depellant? At suis parentibus illos adversari, aut quicquam contra moliri, res nova est, & inaudita, præterquam in uno viperarum genere: Ut sciamus viperino esse eos homines ingenio, qui, cum ratione uti debeant, hujus tamen animalis perversam indolem sequi malunt.

Et ut ad priorem similitudinem tantisper revertar, potest consilio capitis membrum aliquod corporis, jam putre, ob salutem totius præcidi: At si caput ipsum, quocunque demum morbo tentaretur, corporis arbitrio præcidi deberet, quæ expectanda esset totius salus, facilis est conjectura.

Atq; ita ne in hac parte videar prolixior; si liberis cujuscunq; demum causæ obtentu fas sit in parentem, infurgere, eiq; è medio sublato alium suo arbitratu sufficere; si corpori, ut bene sit, caput morbidum liceat demerere; tum non inficias eo, quin populus jure & possit rebellare in Principem, & cum visum fuerit, eum redarguere, & majestate ac vita privare. Lectoris denique judicio excutiendum relinquo, an gemina hac similitudine Regum officium melius declaretur, an Præfectorum in collegiis artificum, vel Doctorum Medicinæ; quod lepidum comparandi genus à contrariæ sententiæ auctoribus usurpatur.

Cæterum, ne quis ex dictis alicubi scrupulus maneat; quod ab initio pollicitus sum, quatuor dubitationibus, quæ majoris momenti in hoc negotio esse videantur, solutis, finem faciam. Et primò quidem à plerisque eorum, qui rebellionibus & læsæ majestatis criminibus defendendis stilos suos exercuerunt, solet hoc objici; ea lege natum esse unumquemque Reipublicæ, ut pari eam zelo & amore ac matrem suam prosequatur: Quoties igitur tyrannorum improbitate laniatur, affligitur, rapitur; bonis civibus nullum non movendum lapidem, ut tantâ eam peste liberent.

Hic ego bifariam respondeo. Primò in divina politia longè illud est certissimum, non esse faciendâ mala, ut inde eveniant bona. Nulla proinde improbitas,

bitas, quanta quanta ea est, eorum judicio Regem sub-
jiciet, quibus judicandis ille à Deo est præpositus. Quod
si nec privatus in privatum suæ injuriæ vindicandæ po-
testatem habet (hæc enim Magistratus propria est, cui
foli datus est à Deo gladius) quanto minus populo aut
cuiquam è populo, quàm omnes privati sint, jus gladii
adversus publicum Magistratum competet; cui soli jus
gladii in eos concessum est?

Secundò, hac temeritate non levaretur afflicta
Respublica, qui unicus illius superest audaciæ color; ;
sed geminâ potius ruinâ & vastitate obrueretur, adeoq;
ex inconsulta rebellionem contrarium planè eveniret.
Nec enim ullus Rex tam immitis aut efferus fingi po-
test, quin per illum melius sit Reipubl. quàm per illius
cædem. Primò enim omnis subita mutatio in Republ.
periculosa est; quæ hominibus fordidis & nudis nova-
rum magnarumq; rerum spem facit, ut alienis se vesti-
ant plumis. Soluta enim Reipubl. compage ad omne
genus insolentiæ, in quod spe impunitatis ferri potest
popularis impetus, habenæ laxantur. Deinde verò
fieri non potest, quenquam Regem ita esse prodigiosè
improbum, ut non publicè justitiam amet, & in officio
homines aliquatenus contineat, ubi ad eum privatim,
aut ejus affectus, quibus præceps rapitur, nihil ea res at-
tinet. At ubi nullus Rex est ibi nihil est nefas. Et lon-
gè verissimum illud est, quòd à veteribus Philosophis
dictum accepimus; satius esse in ea Republ. vivere, ubi
nihil licet, quàm ubi omnia; quæ rerum facies indomi-
to equo, qui Sesforem excusit, absimilis non est. Nam
ut divinus Poëta Bartasius ait: Præstaret in Republic.
quosdam nævos & maculas ferre, quàm per causam re-
formationis omnia deformare.



Secunda eorum objectio ex gravissimis illis malis orta est, quæ Reipubl. ex tyrannica dominatione incumbunt: Ideoq; nihil esse Deo acceptius confirmant, aut afflictæ Reipubl. gratius, quàm ejusmodi peste terram absolvere, & in libertatem tantopere omnibus animantibus expetitam homines asferere.

Neque ego inficias eo, malum Regem Dei flagellum esse, quo hominum vindicantur peccata: Licere tamen unicuique, cum visum fuerit; eam poenam excutere, id verò pernego. Quis enim neget Regem Babylonis populo Israëlitico, ut in captivitatis vaticinio minatus fuerat Deus, gravissimam fuisse & dirissimam pestem? Quis nesciat talem Ecclesiæ Christianæ fuisse Neronem? At Jeremias & Paulus his parendum, proque eorum incolūmitate preces & vota facienda esse censuerunt.

Patientia igitur & prece & emendatione vitæ; quæ sola nostrarum partium esse ex jure divino jam satis ostendi; agendum est cum Deo, ut ipse sua manu pestem hanc e populo dignetur submovere. Nam quo pacto populus, cui jam integrum non est privilegia unanimi consensu in Regem translata repetere, veterem sibi libertatem asserat? Nam si Principi ipsi non liceat privilegium in quemcunque Subditorum ordinem à se, aut majoribus concessa revocare; quo pacto, obsecro, subditi Principem suum majestate, qua ipse cum majoribus suis tamdiu inter eos eminuit, exuere poterunt?

Verum temporum injuria, quæ perfida multorum consilia immerito sæpè donavit successu, materiem præbet tertiæ eorum objectioni. Nam è prospero, quo ejusmodi facinora donata sunt successu tyrannicidium evincunt Deo placuisse.

Verum illud quidem est bellorum, & humanarum rerum omnium eventus penes Deum esse. Quam ob

cau-

causam ipse se in sacris literis *Deum exercituum* indigitat. At si inde colligas meliori causæ semper indulgeri à Deo victoriam, pariter efficies Philistæos, aliasq; gentes Israëlitis vicinas, cum in acie sæpe vicerint, meliorem quoque fovisse causam: Et Philistæorum adversus Dei arcam, quam prælio victores secum avexerunt, & diu captivam sua in regione detinuerunt, justam fuisse causam collegeris. Præterea non Theologis modo, sed & aliis quibuscunq; probatis auctoribus improbantur singularia certamina, seu monomachiæ, quæ hoc prætextu fiunt, ut Deus exitu ipso manifestet causæ justitiam: Nam scire debemus innocentem partem non esse coram Deo innocentem. Unde etiam justissimus Deus suam injuriam sæpe committit vindicandam uequiori; quo ministerio peracto flagellum suum in ignem conjicit. Sic populi sui hostibus animos sæpe addidit Deus & robur: Idem populo suo pœnitentiam agenti eosdem hostes permisit excindendos. Ita ille supremus Arbiter Vicarii sui scelera justissimè vindicat, dum Subditorum rebellione ejus rebellionem castigat: Quo in negotio nihilo melior est Subditorum causa, quàm Diaboli tentantis & torquentis illos, quibus illum Deus voluit esse carnificem. Ideoq; ut ab initio monui nihil est fallacius, quàm ex eventu causam æstimare.

Ultima eorum objectio mutuo Regis & subditorum pacto & stipulatione (ut ipsi vocant) inniritur. Nam tempore coronationis pactum inter eos iniri, & jurisjurandi religione utrinq; firmari contendunt. Unde consequitur, Rege suam partem violante, non amplius populum obligari ad suam, sed è vestigio jurejurando exsolvi. Nam uno contrahentium recedente à pacto, alterum ajunt Jure Gentium absolvi.

Nego

Nego ego tempore coronationis inter Regem & Subditos pactum iniri; cui præsertim tam severa clausula (uti illi volunt) adnexa sit. Quamvis illud factis constet eo tempore, aut Regni initio, sponte sua, Regem promittere se munere à Deo in populum mandato honestè & fideliter functurum. Ut demus tamen pactum intercedere, quo nullum sanctius, nullum firmitus (ut ipsi volunt) cogitari poterit; quis tamen, si Rex conventis non steterit, erit læsæ fidei arbiter, quis iudex inter partes? Nemo Jus Civile primoribus labris degustavit, qui nesciat non censeri ab uno contrahentium violari contractum, aut alterum contractu prius absolvi, quàm legitima ordinarii iudicis cognitione liquidò constiterit, uter eorum prior à contractu discesserit. Ea enim est cujuscunque Juris civilis & municipalis cautio. Aliàs nihil impediet, quo minùs in sua quisque causa & iudex & pars fiat: Quo nihil absurdius cogitari posset. Nunc in hoc Regis & populi contractu solus Deus, cui uni Rex tenetur suæ administrationis rationem reddere, sine controversia est iudex; tum quia in juramento illo inaugurali Deo soli defertur & iudicium, & vindicta perfidiæ. Et certè coram eo, ut omnis juramenti arbitro, solùm jurandum est. Quùm igitur DEUS solus inter partes contrahentes perfidiæ Quæstor sit, eique soli & cognitio competat, & ultio: Necessariò efficitur adversus Regem pronuntiandam esse priùs à DEO sententiam, quàm populus censeatur suo sacramento solutus. Ergo quàm injustè pars altera contrahentium iudicem se in sua causa faciat & divinum officium usurpet, nemo non hinc videat. Eritne igitur penes ἀκέφαλον vulgus imperium, quod Deus imposuit, quùm primum illud fastidire cæperint,

excu-

excutere? Illum, cujus censuræ & poenæ obnoxii sunt, censere & punire? Et in ea causa, in qua adversarios esse illos cupidissimos ipsa indicat ferocia, asperos & immittes fieri judices? Quin ego in ejusmodi causa, prout jam fingitur, neque Regi neque populo defero injuriæ cognitionem: Nam, si rectè expenderis, mutui illius promissi tempore pars una est Rex, pars altera totus populus. Si totus populus uno ore & animo rebellis evaderet, non utique Regis foret se juramento solutum credere, hostilem animum in Subditos gerere, nihil non in eorum perniciem moliri; quanquam in præcipuos seditionis auctores jure suo tum posset animadvertere. Multo minùs igitur populus omni auctoritate nudus, & Regi semper Subditus, judicium sibi in Regem arrogaret, nedum ut in ordinem illum cogeret, dejiceret. Aliàs, ut primum populus violatæ fidei Regem postularet, Rex populum ejusdem criminis reum perageret: Et sic cum utraq; pars judicem ageret in sua causa, altera, quæcunq; infirmior esset, semper utiq; causa caderet.

Observandum quoque est, Juramento hoc fidelitatis non modo populum tum jurantem, sed etiam eorum posteros teneri; Sceptri videlicet jure ad unius familiæ legitimos hæredes secundum lineam rectam æternùm descendente: Quod Successionis genus in Dei populo primitùs cæptum in Christianorum plerisq; omnibus Rebusp. felicissimè perdurat. Adeò nullus hærefe-
os aut Legis prætextus populum à sacramento absolvat; quod Regi & illius hæredibus juxta antiquissimas & primas Regni Leges debetur. Nam ut ipse Rex eorum Dominus est hæreditarius, nec coronationis beneficio, sed sanguinis jure regnum iniit, ita, quùm thronus Regius nunquam vacet, non minus injustum censerì debet suc-

M

cesso-

cesforem non admisisse, quàm decesforem expulisse. Nam quo momento Rex moritur, eodem legitimus illius hæres succedere intelligitur: Atque ita successorem recusare non tam foret non admittere, quàm legitimum Regem suo loco movere. Et hac tempestate satis (opinor) Galliæ nota est superstitiosa fœderatorum rebellio, qui sumptis armis, dum legitimum Regem natalitio regni sui jure per causam Religionis student depellere, florentissimum regnum diu foedè vastarunt.

Neque hæc pro Regibus ideo disserui, quod omnia scelera, omnia flagitia iis velim esse impunita: Quasi eorum gratiâ factus esset orbis terrarum, eorumque libidini permisus, ut omnia pro arbitrio agant ferantq;: sed contra, dum Deo, cui soli ut judici ordinario subsunt, eos in supplicium dedo, asperrimæ (ni fallor) omnium & plagosissimæ ferulæ eos subicio. Nam quanto cæteros mortales loco, honore, & potestate supereminent Reges, tanto majore obsequio creatori suo devincti sunt; tantoquè majoribus pœnis, si sui olim immemores evaserint, exercebuntur. Nimirum ad dignitatis mensuram crescit eorum adversus Deum ingratitude, & quoniam in editiore loco positi sunt, graviore afflictabuntur casu. Quo enim aliquis Deo beneficiis devinctior est, eo ejus offensa jure enormior videtur. Sæpius & damnosius summas quercus feriunt Jovis fulmina, quàm lentas falices: Et ex altissima sede proclivior est lapsus. Nunquam auditum est aut pietati aut officio defuisse Regem, quin ejus ingratitude parem Deus aptaverit pœnam.

Neque etiam confido hisce meis argumentis populo persuaderi posse, ne in improbos Reges posthac unquam insurgant; qui non nesciam ejusmodi flagellis di-

vina

vina providentiâ & justitiâ immisfis sæpe vindicari tyrannorum scelera, quemadmodum foedisfimis vermibus & terræ pulvere insolentia Pharaonis olim coërcita fuit. Sed meum in hoc tractatu consilium est, iis faltem, qui opere & vita non inani nomine Christianos se esse volunt, pro virili mea parte dissvadere, ne feris illis Rebellionibus, quæ Regum improbitas à Deo vindicabitur, vel manus suas scelerent vel mentes: Ut, cum Deo visum erit hæc furoris sui instrumenta, hæc flagella Principum in ignem conjicere; vos ad æternum illud tribunal puras dextras, puras conscientias adferatis; Qui nempe vera Religione in Deum, vera pietate in Principem defuncti judicium & supplicium illi permiseritis, ad quem jure pertinebant.

Nunc mihi restat obsecrandus Deus, & spero fore, ut sua apud nos dona propria esse velit; Seditionum vastitatem procul arceat; Regis animum ac mores nobis tales conservet, quales Deum nostrum in terris patremque amantissimum maximè deceant, & in prima hujus operis parte descripsimus, neve illi quicquam charius sit vestra felicitate, ô Cives; & dum sui curam agit, id potius vestri causa faciat, quam sua; seq; vobis natum judicet; vos autem, charissimi populares & lectores benevoli, omni studio illius fælicitatem & bonum provehatis; atque ita pia fælici que inter vos æmulatione, dum ille vestræ paci & commodis, vos illius honori & incolumitati studetis, & perpetuis indies certis officiis; omnes ordines se illo beatos Rege, & Rex illis subditis unice sentiat beatum.



INDEX RERUM.

Numerus primus *Librum*, secundus *paginam* significat.

A.

A *Diaphora*. II. 9.

Quomodo Princeps *Affectibus* uti debeat? II. 66.

Arma quæ in *Aula* gerenda? III. 72. 73.

Aucupium quale Principi instituendum? III. 77.

Aula ut instituenda sit? II. 49. Ejus administratio. II. 53.

Aulici pro moribus & meritis tractandi. II. 53. Delinquentes gravius puniendi, *ib.* Rixosi, factiosi dimittendi. *ib.* Omnes fraterno vinculo connectendi. II. 54.

B.

Belli Justitia. II. 46. Provisio. II. 47. Principem periculis quibuscunque objici fas non est. II. 48.

Leges de *Bombardis*. II. 63. 64.

De *Buchmanni* libris judicium? II. 63. 64.

C.

Capillorum longitudine an jutendum sit. III. 71.

Julii Cæsaris Commentariorum commendatio. II. 64.

Cibus Principis. III. 69. Cur publice *cibum* capere debeat? *ib.* Jucundis non feriis miscendum esse. III. 70. *Cibum* negotiis, non negotia cibus accommodanda. *ib.*

Conciliorum Authoritas & verus usus. II. 13.

Conscientia Religionis custos. I. 7. Totius vitæ index. *ib.* Morbi *conscientiæ*. *ib.* Leprosæ *Conscientiæ* Protherapeuticon. I. 8.

Conjugium Principis. II. 54. à Principe maturius instituendum. II. 56.

Fines & causæ accessoriæ *Conjugii*. *ib.* Disparitas Religionis in

Conjugio Principis incommoda. II. 57. De incorrupta *Conjugis* origine

INDEX RERUM.

origine. *ib.* *Conjugium* sancte colendum esse. II. 98. *Quomodo*
Princeps se erga *Conjugem* genere debeat. *ib.*
Rex dum *coronatur* fit Pater Subditorum. p. 88.
Cubiculariorum Principis requisita. II. 70.
Cultus divini duo gradus. I. 3.

D.

Delatorum examen. II. 67.
Delicta Principum cur graviora aliorum delictis? I. 1.
Delicta sine venia. II. 14.
Deus in ore parce, in corde frequenter habendus. I. 10.
Cui Principes *Dii* vocentur? p. 86.
Divisionis Regnorum incommoda. II. 89.
Doctrina Principis non consistit in otiosa scientia, sed actuosa pru-
dentia. II. 61. & 64.

E.

Ministri *Ecclesiastici* quomodo à Principe tractandi sint? II. 9.
Principis erga eos munificentia. *Præfat.*
Ecclesiæ Morbi & Ministrorum ejus. II. 17. 18.
Paritas Personarum *Ecclesiasticarum* Mater confusionum. II. 19.
Exercitia corporis quæ Principem deceant? III. 76. *Equestria* ipsum
maximè decent. III. 76. *Violenta* neutiquam. *ib.*

F.

G.

Gestus Principis. III. 73. 74.

H.

Lectio Historiarum à Principe instituenda. II. 63. 64.
Humilitas Principis. II. 65.

I.

Judicia ut à Principe formanda sint. II. 62. Ab ipso Principe frequen-
tanda. *ib.*
Abusus Juramenti. I. 8.
Jus Regum i. *Sam.* 8. explicatum p. 88. & seq. usque ad 93.

M 3

Justi-

INDEX RERUM.

Iustitia Principis. II. 66.

Summum *Ius* summa injuria quo sensu? II. 60.

K.

L.

Liberalitas Principis. II. 66.

Liberorum Regionum educatio. II. 59.

Libri quomodo scribendi? III. 75. Cur patria lingua scribendi sint? III. 75.

Ludorum celebritates populo permittendæ. II. 25. *Ludi* domestici qui instituendi? III. 77. Quomodo? *ib.* *Ludus* latrunculorum est nimis consulta & Philosophica stultitia. III. 78.

M.

Magnanimitas Principis. II. 64, 65.

Maledicentia adversus Principem examen. *Præfat.* & II. 15. & 24.

Scientia *Mathematica* Principis. II. 64.

Principem in *Mechanicis* artificem haberi dedecet. III. 79.

Mercatorum mores. II. 23. *Eorundem* correctio. *ib.*

Militum selectus. II. 47. *Militaris* disciplinæ exactio. II. 47.

Conversatio cum *militibus*. *ib.*

Ministorum Principis selectus. II. 49. & 51. Nobilissimi quiq; seligendi. II. 52. Veteres non negligendi. II. 50. 51.

De *Moneta* consilium. II. 24.

Monarchia reliquis formis *Rerumpp.* melior. II. 58. & 86.

Mors subita non deprecanda. I. 8.

Mutabilitas Principem dedecet. III. 81.

N.

Neronis quinquennium ac votum; Vellem nescire literare, improbatum. II. 13. & 14. Eiusdem vana gloriatio. III. 79.

Neutorum duo genera. II. 68.

Nobilium morbi. II. 20. Remedia. II. 21. Vitium hæreditarium inanis quædam magnitudinis & potentiaæ suæ persuasio. II. 22. Cur *Nobilitas* colenda sit? II. 22. Cur à Principe consiliis admovenda? *ib.*

O.

Obscuritas Principi cur vitanda? III. 74.

Officia

INDEX RERUM.

Officia publica quibus conferenda? II. 52.
Opificum morbi eorumque Medicina. II. 24.
Oratio vid. Preces.

P.

Honor Principis erga Parentes. II. 65. 66.
Principes Pauperum Patroni. II. 16.
Pax temere non facienda. II. 48.
Peregrini officiis publicis non admovendi. II. 52.
Pœnarum usus. II. 13. Pœnæ turbarum metu omittendæ non sunt. ib.
Pœnarum Temperamentum. II. 14.
Pœsis Philosophica commendata. III. 75.
Precandi Regula optima. I. 5. Precandi exercitia. I. 6. Modus. I. 6.
Quid petendum à Deo? ib. Quomodo oporteat precum nostrarum eventus interpretari? ib.
Principum erga Deum gemina obligatio. I. 1. Cur Principi impio nihil bene succedat? ib. Gravitas delictorum Principis. ib. Vera Principum gloria. I. 2. Verbi Divini Meditatio cur Principi necessaria? I. 2. & II. 62. Officium Principis erga homines. II. 10. De mutuis Principis & Subditorum officiis. III. 83. & sq. Principis ad exemplum cur se omnes componant. II. 10. 48. & 67. & III. 68. & Præf. Ideo & externa ipsi curæ esse debere. II. 68. Principi severitas initio regiminis necessaria. II. 13. 14. Principibus non convenit respectum personarum habere. II. 16. & 63. Principis Affabilitas erga omnes. II. 21. & III. 80. nec omnia procerum arbitrio permittenda. II. 21. Partes Principatus quotannis obeunda. II. 25. Quomodo ipsis cum aliis Principibus agendum. II. 46. Causa communis Principum. ib. Virtutes Principis. II. 60. Præsentia Principis in foro. II. 63. In secretiori consilio. ib. Principis dignitas è Civili & Ecclesiastica mixta est. III. 71.
Proteritum juris prolixitas examinata. II. 62. 63.
Psallendi peritia an Principem deceat? III. 80.
Puritanorum consideratio. Præfat.

Q.

Questores publici qui constituendi? II. 52.

R. Rebel

INDEX RERUM.

R.

- Rebellio* nulla adversus Reges etiam notorie malos in Vet. T. legitur
p. 94. & seq.
Ars Regendi, II. 61.
Externarum internarumq; in *Religione* differentia. I. 9.
Principis Cura circa res *Religionis*. II. 62.
Reipublicæ morbi Principi curandi. II. 17. *Respublica* ab exterorum
injuria vindicanda. II. 46.
Rex conf. *Princeps*.

S.

- S. Scripturæ* Methodus. I. 3. 4. ex ea facetias peti fas non est. III. 74.
Quomodo legenda? I. 3. 5.
Scortationis in personis illustribus Gravitas. II. 54. 55.
Sermo Principis. III. 73.
Scotiæ reformatio arcana Dei auxilia peracta. II. 17.
Sodalitium Principis. III. 79.
Somni Principis in bello ratio. II. 47. Post cibum. II. 70. Quantum tem-
poris ei inpendendum sit? ib. *Somnia* quomodo spectanda? III. 71.
Stilus Principis. III. 75.
Principem non oportere esse *susplicacem*. II. 67.
Contra *superstitionem* remedium. I. 9.
Sylvestres in ordinem redigendi ratio. II. 60.

T.

- Temperantia* Principis. II. 60.
Tributorum impositio. III. 67.
Regis & *Tyranni* discrimen. II. 11. 12. Tragicus *Tyrannorum* exitus. ib.

V.

- Venatio* quæ Principem deceat? III. 76. 77. Quando Principi insti-
tuenda? III. 77.
Vestitus Principis. III. 71. & 72. *Vestes* ad primævæ institutionis u-
sum revocandæ. III. 71.
Extrema *Vitia* inter se coincidunt. II. 61.
Unio Regnorum sub uno Principe. III. 80.

II 44 57

ULB Halle
004 757 05X

3



VD 77



II A
44





Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000
White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

KODAK Color Control Patches



RISSIMO

DI

atur nostra hac
itutio, quâ
ninus in Deum,
ria in subditos
ude exequaris;
ne ac tibi debeat
tu maximum,
primitias, pro
e cura: Regia
redem meum
gravitate pre
regno natum o
bonori: Neque
ut assiduis
vincia, quam
tibi

